X111 197

REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITA' DI TORINO

F XIII. 197

111. 126

VINCENTII GVINISII LVCENSIS E SOC. IESV POESIS

HEROICA, ELEGIACA, LYRICA, EPIGRAMMATICA, aucta & recenſita:

ITEM

DRAMATICA, nunc primùm in lucem edita.



ANTVERPIAE, EX OFFICINA PLANTINIA
BALTHASARIS MORETI. M. DC. XXX.

LVDOVICO CARD. LVDOVISIO S. R. E. VICE-CANCELLARIO

POESIS

IN PROGRAMMATE DEPICTA AB EQ. IOS. CÆSARE ARPINATE SE DICAT DEDICATQ.

MAgnanime ô Princeps, cui ſumma neg-
tia mentem
Semper habent; ſed non adeò, par omn
bus, implent
Pectus, vt in medio numquam vacet agmine re-
rum:
Siquid ab egregio curarum pondere ceſſas;
Hæc, precor, intereà mihi publica commoda
Dum Tibi me voueam, ſi ſum Te digna Patro
Illa ego ſum veterum genitrix atque arbitra V
tum,
Filia Diuini cultus & alumna Triumphi,
Cæleſtumq; ſoror Charitum, & collactea Laudum.

Quòd ſi fortè mei quæras cunabula partus,
Natalisq; rudimenti primordia; dicam.
Cùm domus Iſacidûm,patriam reditura Sionem,
Exſilium & rigidam fugeret Pharon; incidit altos
In fluctus Arabum, Rubriq; obſtacula Ponti.
Tum vallo maris immenſi fuga ſiſtitur, anceps
Quò vergat,quâ parte ſalus ſe proxima pandat.
Scilicet à tergo Pharaonius ardor euntes
Inſequitur,iam iamq; gradu premit,& fodit haſtâ.
At DEVS *increpuit ſurdum mare. Conſtitit æquor*
Ingenitâ feritate minus, nutumq; Tonantis
Audijt, & medio freta concita diffidit alueo:
Tanta fides pelagi, & ſummæ reuerentia vocis.
Ecce bipartito cedentia clauſtra profundo
Pontus agit, ſuſpendit iter,per & aëra librat
Hinc atque inde leues,gemino velut aggere,fluctus;
Æquoraq; exhaurit,longo quantum orbita ſulco
Pandat aquas populo, cui terras clauſerat hoſtis.
bſtupuit primò fugientum exercitus, altum
iſcindi pelagus, barathroq; voraginis horret
t patere maris,velut exhauſtura morantes.
ed nouit mox eſſe pium,quod credidit atrox:
ngreſſusq; viam, quà conſcia ſemita ducit,
Sicca per æquoreos veſtigia ſignat hiatus,
curus pelagi atque ſui; valloq; liquorum
itur, & fidas premit immerſabilis vndas.
Peluſiaci furibunda Canopi
gmina, laxatis ad terga vehuntur habenis,
acta viam per aperta maris, atque vſa ſecundo
Succedunt pelago iamiam domitura phalangas:
Cùm ſubitò implacidum tonuit mare; ſæua rebellat

Vnda

Vnda ſecuturis, praeuntibus aqua maniplis.
Nec mora, diſciſſus redit ad commercia Pontus:
Fœdus habent lymphæ, iunctiſq; liquoribus implent
Ora maris patefacta priùs. Iacet obruta Memphis
Fluctibus in mediis. Quàm vellet poſſe reuerti!
Sed negat vnda fugam: ruit agmine ſæuus aquarum
Pontus, & à tergo Phariis redeuntibus inſtat.
Diſſiliunt currus, miſerandoq; eſſeda ludo
Naufragium in circo faciunt maris: ardor equorum
Obluctatur aquis; ſed tunditur impetus æſtu,
Quadrupedesq; equitesq; globo inuoluuntur eodem.
Ipſe Paratonij Rex agminis ima laborat
In freta deiectus: ſequitur ſua curia Regem,
Oceano confiſa nimis: iam digerit iras
Æſtibus æquoreis: illâ ſe iactat in aulâ,
Sortiturq; ſuo Capitolia digna triumpho.
At Superis deuota cohors in littore greſſum
Tuta locat, deq; hoſte tulit ſpectacula tantùm.
Tum pius Iſacidûm ductor Pæana Tonanti,
Hoſte triumphato, cecinit: peregrinaq; pubes
Ductorem ſequitur præeuntem carmine grates;
Inq; vicem alternis ſpatiis iuueneſq; nuruſq;,
Munere pro tanto, perſoluunt debita laudum.
Hinc ego principium duxi, natalibus olim
Orta piis: illæ, mea prima crepundia, voces.
Nunc Pictor, non arte minùs quàm nomine Cæſar,
Pictorum Cæſar, ſeræq; ætatis Apelles,
Inter ſacra iterùm me carmina pinxit, vt eſſem
In regno ſecura meo. Simul ille profanos
Edocuit vates, quo lucis ſemine naſcor:

 Ad-

Admonuitq́; nigros Paphiæ meretricis olores,
In mea quàm peccent generoſæ exordia vitæ;
Cùm quaſi degenerem tam pulchri à germinis ortu,
Ad mala neſcio quæ melimela Cupidinis vrgent.
Ite animi indecores, quorum modulamine dicor
Serua Voluptatis, quæ ſum Regina Pudoris.
Ad Te confugio, Princeps, tua nomina ſupplex
Fronte gero; meme ipſa tuis ſplendoribus orno,
Vt lucem quandoq; meis natalibus addam
Auſpice Te, quos fœda infumant carmina Vatum.
Hic pia ſum, ſecurus ades. Sed, & vt pia poſthac
Dicar, & ingratæ caueam commercia culpæ,
Tu facies. Age, meq́; tuo, LVDOVICE, *volentem*
Subde patrocinio: ſic reddis origine dignam.



VINCENTII GVINISII
E SOC. IESV
POESIS HEROICA.

SACROSANCTA
VATICANI TEMPLI
PORTA
POPVLORVM INGRESSVI PATEFACTA
A B
VRBANO VIII. PONT. MAX.
IN PVBLICA DEDICATIONE
SAECVLARIS ANNI M. DC. XXV.

Idyllium à Franciſco Alterio dictum.

CARMEN I.

CEDITE Romano ſcelerum contagia Regno,
Si qua forum tenuiſtis adhuc. Optata recurrunt
Sæcula: mite caput fauſtiſſima porrigit ætas.
Sic iubet VRBANVS, qui cælo deuocat Annum.
Ite procul Stygiæ peſtes, damnataque luctu
Agmina perpetuo; ſontemque repoſcite noctem

Indecores animæ, ſoboles inimica diei.
Sol oritur, quo non alium conſurgere ſolem
Candidiore comâ & melioris origine lucis,
Vidit inexhauſti reuolubilis ambitus æui,
Quina pererrato cùm luſtra referret Olympo.
Iam Cæli patuêre fores: ſimilique metallo
Obſita iamdudum, centumque obducta catenis,
Et frangi metuente rigens adamante fatiſcit
Ianua terrarum luſtralibus obuia ſacris,
Fatalemque ſinu grauido excluſura ſalutem.
Vnde nouum mundo fulſit iubar? emicat ingens
Lucis honor: ſed cauſa latet. Diuinus inaurat
Riuus agros: ſed habet nitor inter ſidera fontem,
Et caput occultat dum flumine recreat orbem.
Vos æterni ignes, oculique volubilis oræ,
Excubiæ Superûm, ſcriptuſque exercitus auro,
Aurea progenies, & poſtuma ſemina ſolis,
Pandite, ſiquis amor, tantarum exordia rerum.
Et vidiſtis enim feſti proſcenia Cæli,
Quæ diſcreta procul mortalibus eripit auſis
Nobile ſiparium, & cæleſtis carbaſus auræ.
Dicite, cur ſanctos ſera liberat ardua poſtes,
Quæ ſteterat firmata diu? cur publica Romæ
Sacra refloreſcunt, annorumque orbe voluto,
Mitis ab integro Virtutum naſcitur ætas?
Iam Sol, aſtriferi per inardeſcentia mundi
Prata, ter octonos efflauerat ore Decembres,
Autumnumque fugarat hiems, ſpatioq; remenſo
Sexta renaſcentē properabat Olympias annum,
Tum faber ætherei motus immobilis ales,
Cui vaga præcipitis rota temporis annua curæ,
Dat ſignum Superis: denſo volat agmine pubes
Plau-

Plaudendi ſtudio; atque operi deuota futuro,
Pandit anhelantes læta ad ſpectacula dextras.
Eſt in ſecretâ Cæli regione latentis,
Trans anni metas, & limina ſolis Eoi,
Sublimis tholos, & paribus diſtinctâ trichoris
Atria, ſidereum Triados teſtantia Numen:
Non opus humanum; Diuina decempeda finxit.
Nempe nec aurato moles operoſa metallo
Argentóve micat: faſtidit humillima Cælum,
Et gemmas conferre pudet, quibus æmula tellus,
Iudice ſe, nimiùm plaudit ſibi. Nobile tectum
Materiâ meliore nitet. Nec dicere poſſis
Quale decus. Tantùm, qui lùcida mœnia format,
Aut idem ſol eſt, aut ſaxa ſimillima ſoli.
Aedibus in mediis, ipſoque in limine templi,
Quà primam latè in faciē domus extima ſurgit,
Ingentes aditus, & poſtibus vna ſuperbis
Porta ſubeſt, mediamq; interſecat ardua molem:
Ipſa tamen nulli patet obuia; robore duro
Clauditur, & foribus vallata rigentibus arcet
Ingreſſu populos, immortalique tenetur
Mole catenarum, æternoque in vecte laborat.
Tunc ſolùm inuerſo reſerantur cardine poſte,
Cùm quartam ſuperans viceſima ferbuit æſtas;
Iamque redorditur noua ſæcula mobile tempus,
Et ſeſe ſua per veſtigia recreat ætas,
Hoc aditu, vt perhibent, hæc lata per oſtia Cæli,
Prodiit Omnipotens Diuinæ mentis Imago,
Cùm Patris è gremio, geniture in viſcera Matris,
Dulcis amor vtriuſque pio ſe carcere clauſit,
Et Deus humanæ ſubiit commercia vitæ.
At Domus interior, Virtutum regia ſedes

Dicitur: hæc ſanctis habitata ſororibus, ardet
Luce quidẽ propriâ, ſed non minùs ore latentum
Splendet ab ingenuo, atque eadem dat & accipit ignem.
Huc igitur, dum fata monent, dum tempus agi rem,
Vndique conueniunt Superi, plauduntque frequentes
Remigia alarum, ſeſeque per alta carinant
Arua; recludendaſque fores, & amabile limen,
Lataque concurſu ſtipant fora: dixeris, Aulam
Numinis, & ſuperas viduari ciuibus Vrbes.
Vſque adeò celebris Virtutum curia feruet.
Ecce autem ſe pompa vehit: ſecedite mentes
Aethereæ campo. Viden, vt via candida lucis
Aeſtuat, & ſecto lacteſcunt ſidera cælo?
Hac iter eſt: Superûm longo præit agmine pubes,
Læta miniſteria, & vultu ſua gaudia portans.
Agmen habet medium, magnique vna agminis inſtar,
Sole reuincta comas, inuecta curulibus aſtris,
Prima parens operum, genitrix Sapientia rerum,
Maxima Diuinæ ſoboles atque incola mentis,
Nata coæua Patri, ſed neſcia mobilis ortus,
Vena boni, nec fonte minor: ſeu proniùs vndat
Extra ſe, populoſque beat; ſeu continet amnem
Intra animi ripam ipſa ſui, ſeſeque reſorbet;
Vis eadem ſemper, nec ſeſe copia maior,
Nec ſeſe minor vnda, ſed vbere ſemper eodem
Detentis neq; creſcit aquis, neque deficit hauſtis:
Viuida maieſtas, opulentia diues honorum
Aetherei Matrona chori, diuina Virago,
Numen,

Numen, & immenſi vox Numinis; illa creatrix
Terrarum, Cælique potens, & temporis auctor
Immortalis adeſt, inſtauratura beatos
Annorum curſus, & inertibus aurea terris
Sæcula, præteritæque obliuia publica noxæ.
Nec mora: iam ventum cæleſtis ad oſtia molis:
Iam ſuperas ſtetit ante fores Regina curulis:
Iam velox ſeſe vrget opus: iam grandia pendent
Munera, ſidereamq; exſpectant omina dextram.
Quin etiam officiis ingentibus excita circùm
Stat Superûm pubes, finemque intenta moratur,
Et pennas premit, obtutuque coërcet in vno
Pendula vim mentis volucrem, exſultantiaque implet
Corda metu, qualem parit exſpectata voluptas.
Intereà triplici ſtantes in cardine valuas,
Ingenteſq; moras chalybum, atq; æterna patentis
Sepimenta aditus, Matrona veterrima rerum
Fatali incumbens virgâ quatit: æra fatiſcunt
Ilicet intemerata diu. Conſtantior ictum
Stat contra muralis apex, quem crebra laceſſunt
Fulmina tormentorum, & ahenæ verbera frontis.
At cæli rigor acer, & impenetrabile textum
Roboris æterni, vix audit ſibila virgæ
Vibrantis ſeſe, & iam vulnera prima minantis;
Cùm labat, emotoque recumbit ianua dorſo
Sponte ſuâ, fragilique trahit compage ruinam.
Tantum virga poteſt, cui dat ſua dextera pondus.
Fit via, panduntur que aditus, patefacta recluſis
Limina iam foribus, iam poſtibus æra negantur.
At, quâ parte ſinum cedentia clauſtra relaxant,
Scena recedentis templi patet. Ilicet ingens

Exoritur plauſus, vociſque reſultat imago
Gratantum terris, melioraque ſæcla ferentum.
Tunc operum effectrix Sapientia luce refulſit,
Quâ numquam meliùs; placidoq; ingentia vultu
Gaudia diſpenſans, hæc intonat: Ite frequentes
O Superi, mea turba, gemellamque Aetheris Vrbem
VRBANVMque Patrem votis cumulate futuris.
Sic Cælo ſua Roma placet. Date fœdera Pacis:
Ferte voluptatum nimbos, compeſcite noctem
Splendidiore die: pereat metus, exſulet horror:
Diffugiant Erebi ciues: pater ipſe malorum
Anteuolet, ſecumque inamabile deuehat agmen
Ad triſtes thalamos, vbi regna domeſtica luctus,
Et conſanguineæ poſuêre cubilia peſtes.
Vix ea; cùm Cæli micat obſequioſa iuuentus
In partes operum, & vario ſe munere iactat.
Pars Romam aduehitur, ſanctumque Quiritibus Annum
Nuntiat, VRBANOque Patri: pars aëre ſummo
Inuigilat, grandique manu turgentia circùm
Nubila deterget, Cælumque immane ſerenat:
Pars triſtes animas, & amantes turbida ventos
Carcere componit, tempeſtatumque cauernas
Obiice præmunit duro: pars cetera ſolem
Ornat, inaſſuetoque micantia tempora cultu,
Sidereamque comam meliore illuminat auro.
Sunt qui quadrijuges, Auroræ in vota, iugales
Expediant, leuiumq; fugã & momenta rotarum,
Et currus, quos ipſa dedit Sapientia quondam
Aſtrorum Regi, cùm magnum auriga Tonantem
In terras tulit, & rediuiuum in ſidera vexit.

At Phœbum intereà tempus monet: ille citatos
Exhortatus equos, curruq́ue obnixus ab alto,
Spargit in arua diem, cui nulla vmbracula vul-
tum,
Nulla ſupercilium nubes tegit: aureus orbem
Ambit honor iubaris; qualem ſine labe colorem
Terra bibit, cùm ſolem, inter cunabula mundi,
Enixa eſt primo maris vnda puerpera partu.
Fortunata dies! neque lux fuit illa, ſed inſons
Lac teneræ lucis: ſolemq́ue ad lumina vitæ
Productum è tenebris, & adhuc à lacte recentem
Fundere tum decuit, quē ſugeret ipſe, liquorem.
Nempe creatricis vix pulſus ab vbere lucis,
In quacumque pedem Cæli regione locauit,
Alba rudimenta & lactentia ſigna reliquit.
Nunc etiam Cælo veſtigia lactis inhærent,
Semitaq́ue ex illo candore notabilis ardet.
Non aliter fluit axe dies, Regina dierum
Candida, quæ Sanctum radiis felicibus Annum
Prima aperit, reuehitq́ue optata piacula terris.
O quantum ſperare licet, cùm proſpera Titan
Fecerit auguria, & fortunam nobilis æui
Luce colorarit, ſimul & pede principe nubes
Preſſerit infauſtas, lætoq́ue ſubegerit orbi!
Nec mora: iam ſubeunt eadem ſpectacula
Romam,
Quæ Cælum tenuêre diu. Nam Roma, vel ingens
Veſtibulum Cæli eſt, vel ducta colonia Cælo:
Vſque adeò ſimilem ſe moribus ornat Olympo.
Aſpicis, vt crebro populorum examine feruet
Vaticanus apex, quà tollit in aëra molem
Tiburtina ſilex; ipſaq́ue in mole cubantem

Educit tholon, & ſublimibus inſerit aſtris?
Hac, quâ parte ſui Cælo viciniùs hæret
Roma, frequentatur, cùm Cæli munera ducit.
Huc omnis fluit ordo, premit, premiturq; viro vir:
Et populi leuis vnda, repercutiente ſequentem
Anteriore, fremit: nec ſe capit ipſa; ſed vrget
Se magis, & ſimili ſemper curſu atque recurſu
Voluitur vnde fluit, ſeſeque reciprocat æſtus.
Ecce autem ſolio latè ſpectabilis aureo
Inuehitur gaudentū humeris animiſq; Quiritum
Romanus Pater, & Romanæ Spiritus Vrbis
VRBANVS. Prô! quale decus, quantumq; ſerenæ
Maieſtatis habet! ſeſe ipſe nitentior ardet,
Et præter ſolitum diuinior: emicat olli
Tantus in ore DEVS, cui ſceptra vicaria geſtat.
Denique ſi neſcis, quàm grandia munera verſet,
Quídve animo ducat curarum, conſule vultum
Principis; & dices, Nihil eſt mortale quod optat.
Talis adeſt mundi Pater, & quocumque curuli
Ingreditur ſolio, tum genua labantia terræ
Ponit adorantum populus; ſed lumina tollit
In Cælum voceſque pias, & fauſta precatur
Omina, deque ſuis VRBANO fabricat annos.
At Pater immenſi contra ſtetit oſtia templi,
Veſtibulū ante ipſum, quà Porticus aurea ſurgit,
Appendix pretioſa domus, & digna theatro,
Cui facit ingentes aditus, & limina format:
Par opus auctori, teſtataque Regia Paulum,
Burgheſij ſimulacrum animi, cui nobile nomen
Seruat; at VRBANO ſeruit, patrioſque Dracones,
Gentileſque Aquilas (ſic Paulus ab æthere iuſſit)
Subdidit vltrò Apibus. Nam gemmea debet vtriq;

Porticus;& Pauli eſt,quòd Cælũ proxima tangit:
Quòd tamen inclinat propria ad cõfinia Cælum,
Quòd ſuperas diſpenſat opes, quòd aperta recludit
Limina Virtutum, vitæque æraria ſeruat;
Hoc opus VRBANI:nec,vtrum ſit deniq; maius,
Quærere Roma diu, vel Paulo iudice, poſſit.
Scilicet hîc luſtrale bonum, deuota ſaluti
Porta, rudimentum ſuperi terreſtre laboris,
Stat Latio reſeranda Patri: quæ tempore longo
Clauſa, per & multos nulli ſuperabilis annos,
Nunc Superûm admonitu, moderantis & infima cæli
Se dicat VRBANO, tantâque pateſcere dextrâ
Poſcit,& ambit adhuc. Sic prouida fata tulerunt,
Vt cùm cæleſtes aditus Sapientia pandit,
Explicet in terris Sapiens gemina oſtia Princeps.
Nec mora: præfatus Diuos, Diuûmq; Parentem,
Ipſe hominum Pater, humano ſed lumine maior
Conſtitit, accingitque operi venerabile pectus,
Et robur,quo Cælum aperit,quo claudit Auernũ.
Iamq; adeò dextram tudes olli argenteus armat,
Iam manus vrget opus, iam fulminat (excipe tellus
Omina) iam tonuit Cæli de parte ſerenâ.
Vix etenim primum argenti vibratilis ictum
Excipit, extemplò velut ariete pulſa trabali
Porta labat, ſubitoque obſtacula verbere cedunt
Sponte ſuâ: patet ingreſſu penetrabile limen,
Vnde aditus certo ſe limite findit, & aſtris
Terminat, incurritque patentis in oſtia Cæli
Diuinâ reſerata manu: iamque omine fauſto,

Ianua

Ianua terrarum, Cælo mortalia iungit,
Humaniſque plagis Superûm penetralia pandit.
Inſequitur clamor lacrymantum, & multa gementum
Neſcio quã mentis dulcedine: cedit amaror
A lacrymis, nec abeſt dolor: at confuſa dolori
Gaudia ſunt; teſtes, hic criminis, illa ſalutis.
Audiit è Cæli ſecreto cardine plauſum
Aurea Virtutum ſoboles, & conſcia facti
Cæleſtes commutat opes terreſtribus oris:
Pro Cælo Romam, pro templo diuite, ductam
Non imitabilibus terrarum molibus ædem
Incolit: hîc foribus ſe prima patentibus infert
Augurium fatale boni: præit ipſa ſequentum
Agminibus populorum, atque omine limina complet,
Et calcanda viris poſt ſe veſtigia ſignat.
Nunc Vaticanam felix habet incola ſedem,
Nec tamen à Cælo ſe credit abeſſe paterno:
Vſque adeò cum Sole ſuo ſua ſidera præfert
Roma; & vbi VRBANVS Sol eſt, ibi Regia Cæli eſt.

GRATVLATIO FERDINANDO CÆSARI DICTA A FERDINANDO CÆSARINI DVCIS FRATRE.

CARMEN II.

O Qui ſidereo moderaris ſæcula gyro
Aliger, ingentemque moues ingentior orbem,
Parce habiles vrgere rotas; molemque ſequacem
Temporis, ah, ne tam præceps ruat, imprime clauo.
Aſpice, purpurei tulit indulgentia ſolis
Optatos ſine nube dies: iam publica mundi
Gaudia, terrarumque preces, & vota Quiritum
Sortitus habuére ſuos: ſedet aureus alto
In ſolio FERDINANDVS; crinemq; verendum
Fronde tegit, cupidoque potentior imperat orbi.
Eſtis io Superi; vobis mortalia curæ:
Nec fatis agimur; ſed conſcia Numina noſtri
In Cælo meditantur, inexhauſtâque gubernant
Mente viros: certâ ſtant omnia lege Tonantis.
Hæc ego, ſiderei ſi quid cortina theatri
Poſſe dabit, pateatque oculis penetrabile Cælum,
Aurea magnarum pandam ſpectacula rerum,
Quæ multa & videre, videndaque multa dedêre
Ali-

Aligeri. Quamuis ea nos miracula tangant,
Vix tamen è Cælo leuis huc allabitur aura.
Auſtriadum Cæſar ſupremus in agmine Regum
Ceſſerat imperiis fati; cùm tempora nactus
Apta dolo, fraudis mala tentamenta futuræ
Aggreditur Genius, non diſſimulanda furentum
Dirarum ſoboles, Othomani ſanguinis altrix;
Deformis Genius, gentique ſimillimus idem,
Cui fauet. Hic quondam veniens ad luminis oras,
Odryſij nomen Othomani accepit alendum
Auſtriacos contra Proceres: nam temporis ortu
Vno eodemque tulit patrium domus vtraque regnum;
Altera naſcentis, morientis & altera ſolis.
Hic fuit antiquum qui ſub fera tranſtulit Argos
Iura Tyrannorum; qui quondam habitata Tonanti
Regna, Palæſtinaſq; domos, veteremque Syenen,
Atque Aſiæ fines, atque arua Libyſtidis oræ
Inuaſit ferus: ille ſuis dedit, ille ſuorum
Helleſpontiacum ſuccumbere Boſporon armis,
Perturbator opum Genius: cui mille nocendi
Nomina, mille artes: Othomanæ ad cornua Lunæ
Factus, & ipſe gerens in vertice cornua Lunæ.
Nunc, ne Threicio domus inuidioſa Tyranno,
Magna domus, veterum ſceptro potiatur auorum;
Aemulus Auſtriadum Genius quas extudit artes
Pectore ſanguineo? quas non ferus arſit in iras?
Ille & Danubij ripas penetrauit, vbi ingens
Clauditur Hercynio fruiturque Bohemia ſaltu:

Accenditque animos flammis, quibus ipſa locorum
Ardet hiems. Ille, & Morauûm fidiſſima quondam
Pectora, nunc acies, & non ſua bella coëgit
Ducere, palanteſque Sileſia per iuga gentes
Iraſci docuit, Regemque laceſſere pugnâ.
Nec tamen hoc ſatiata rogo genialis Enyo eſt:
Paſcitur haud animis ſolùm popularibus ardor:
Prima Senatorum capita, & delecta potentum
Corda Ducum ſæuo aggreditur torquere flagello.
Nimirum toto miſit Germania Rheno
Magnanimos Heroas, & alto à ſanguine Regum,
Lecturos Procerum multis è millibus vnum,
Qui regat imperio, nutuque coërceat orbem.
Iamque Hellenopolim magno tenuêre Senatu,
Quam tacito velox allabitur agmine Mœnus,
Et mediam ſecat, & mediis interfluit vndis,
Atque vnâ de ſtirpe, duas diſterminat vrbes.
Conſedêre Duces: & iam conſulta ferebant,
Verſabantque grauem votis fatalibus vrnam
Aſſenſu vario: nam quæ ſententia mentem
Inclinaret, adhuc non omnibus vna ſedebat.
Scilicet huc etiam caput implacabile condit,
Feralis Furia, extremum confeſſa laborem,
Conaturque venenatas aſpergere flammas,
Nequid inexpertum linquat: quibus illa veretur
Extingui vt poſſit Fidei inuiolabile pignus
Mentibus in magnis: ſed quid tentaſſe nocebit?
Sentit ab arcano propiora pericula Cælo
Magnanimus Leopoldus: inardeſcitque videndo
Et Furiæ tedas, & proxima damna ſuorum.

Hic

Hic quondam Auſtriacæ Dux inuictiſſimus Aulæ
Iura dabat, dum membra animus generoſa regebat:
At, poſtquam ſupero tranſſcripſit nomina regno,
In terris ſua templa tenet; votiſque vocatus,
Mitis adeſt, auditque preces: & dictus ad aras
Indicat, Auſtriacam terris Cæloque potentem
Imperitare domum, gemino quæ ſufficit orbi.
Fortè frequentabant Superi conclaue reductum
Secretâ in Cæli regione: vbi cogitur ingens
Concilium, magniſque hominum de rebus agebant:
Hîc alto in ſolio diuina Pronœa paternum
Temperat imperium; ſummoque æquæua Tonanti
Prouidet, & longè quæ ſunt ventura reſoluit.
At circùm auratis compoſta ſedilibus errat
Aligerûm manus Heroum, quibus arbitra mundi
Iura poteſtatemque dedit iuſtiſſimus auctor.
Huc ſeſe Leopoldus agit; ſanctumque Senatum
Ritè colit, ſolioque innixum Numen adorat,
Atque has flammato mittit de pectore voces:
O Superûm Regina potens, vtriuſque theatri
Diua gubernatrix, ſupremæ filia mentis,
Prouida mens, æuique parens præſaga futuri,
Frange caput Stygij prædonis, & opprime fraudem
Arctois latè regnis impunè vagantem.
Cernis, vt Auſtriadum trabeata potentia nutat
Germanos inter populos? nec, vt antè ſolebat,
Ad regnum votiſque humeriſq; inuecta vocatur,
Vnius inuidiâ & fatalis Erinnyos aſtu?

Quid

Quid mea progenies tantum potuítve mereri,
Aut meruit, Stygiæ ſuccumbat vt artibus aulæ?
An quia perfidiæ populatrix ardua, regno
Cogit ab Auſtriaco portenta faceſſere, ſi quæ
Vana ſuperſtitio, ſacrorumque impius error
Fudit abortiuo, terrarum ad lumina, partu?
Non equidem in noſtrum genus indulgentior æquo
Hæc facio tibi vota: animi penetralia teſtor,
Non ita me tetigit ſanguis meus, aurea poſtquam
Sidera ſortitus, cum ſanguine membra reliqui,
Vt titulos illi fragilemque precarer honorem.
Me Pietas tangit, pro Relligione precantem
Diua audis: Fidei me cura potiſſima cogit
Dicere,& Auſtriacos ad ſceptra vocare Nepotes.
Quos regno quondam Pietas dedit, illa repoſcit
Ad regnum, munuſque ſuum generoſa tuetur.
Non ego præteriti reuocabo exordia facti;
Cùm Rudolphus agens equites in bella ferarum,
Pronus adorauit, per deuia rura, latentem
Diuinâ ſub fruge DEVM; quem fortè Sacerdos
Portabat, ſuprema piæ ſolatia morti.
Vix oculis hauſit niueâ ſub imagine Numen,
Cùm procumbit humi ſupplex, dorſoque relicto
Acris equi, Myſtam cæleſtia ſacra gerentem
Imponit,chlamydiſque iniectu ſubmouet imbri:
Ipſe triumphantem ſtipator Regius ambit,
Ipſe ſubit pedes,& Dominum comitatur euntem.
Cui tu, magna Parens, tanto pro munere grates
Annueras contrà, decus immutabile regni,
Imperiumque orbis generi ſine fine futurum.
Tempore iam ex illo Romani Cæſaris omen,

Rudolphus Cælo tulit auſpice: primus auorum,
Qui regno Auſtriacum nomen dedit: inde minores
Agmen agunt, Regumque ingens ſeſe explicat ordo
Aureus, auguſtos quibus altâ ab origine faſces
Seruat adhuc Pietas: Othomana ſed obſtat Erinnys,
Scilicet, & Cælo terriſque proterua minatur.
Quare age, ſi merui, ſi non indebita poſco;
Tartareas infringe minas, Aſiæque Tyranno
Ne liceat ſuperis errare licentiùs oris:
Sit fraudum ſatis, infernâ ſe verſet in aulâ,
Si lubet, & proprias in ſeſe exerceat iras.
Riſit ad hæc facili Regina veterrima vultu,
Orantemque oculis placans, Abſiſte precari
Plurima, dixit; habes iamiam, Leopolde, quod optas;
Imò, quod optanti numquam promittere poſſes,
Tu tibi: nunc adeò fraudũ & terroris abundè eſt,
Quandoquidẽ fatis mora nulla ruentibus obſtat.
Sed ſi tantus amor rerum cognoſcere cauſas;
Nunc ades, & mecum fortunam addiſce tuorum.
Vix ea; cùm ſolio ſeſe Matrona ſuperbo
Attollit, ſuperatque gradus: dextraque prehenſum
Ducit fronte pari Leopoldum & paſſibus æquis
Ad ſecreta recedentis conclauia Cæli;
Quà tollit fatale caput cryſtallina turris,
Perſpicuoque ſinu rerum ſpectacula pandit:
Fuſilis hîc moles volucrum compage rotarum,
Tormentumq; volubilibus circum orbibus actum
Surgit, & in liquido patet aſpectabile vitro.

Olli

Olli talis ineſt facies, qualem ænea præfert
Machina, quæ ſummis è turribus admonet vrbes
Temporis, & pulſu fugitiuas diuidit horas.
Nil tamen humanum, nihil hîc mortale reſultat:
Sunt chalybes, ſunt æra procul: reuolubile Cælum
Dixeris, vſque adeò gemmata toreumata lucent.
Pendet inæquali capitum libramine funis
Aureus, & grandes ducit pro pondere gemmas
Molem infra, ſemperq; idem ſurgitque caditque,
Et metitur onus, motumque moramq; gubernat:
Nam crebris agilem ſpiris amplectitur axem,
Immortalem axem, ſolidoque adamante rigentem;
Non adeò tamen indomitum, quin textilis auri
Sentiat amplexus: ad blandimenta mouetur
Ilicet, & ſimilem pretioſis dentibus orbem
Corripit: hic alios verſat, voluuntque voluti
Mordicus, & totam rapiunt vertigine molem.
At placidè errantum facit æquamenta rotarum
Hinc atque inde pari trepidans examine libra:
Neu ſe præcipiti verſatile pondus agat vi,
Illa cauet, præbetque ſui diſcrimina motus.
Nec minus externæ pretium eſt & gratia fronti:
Nam ſtylus huc ſeſe gemmataq; lingula profert,
Purpureuſque index, qui, moli annexus, eodem
Incedit cum mole gradu, & miracula ſignat,
Qualia non vlli fas eſt agnoſcere Diuûm.
Scilicet ingentis frons eſt adamantina turris;
Fronte ſuper, quà circumagit ſe gemmeus index,
Docta manus ſolido formas inſcripſerat auro,
Arcanoſque characteres, & cæca notarum

Argu-

Argumenta; quibus ſe lingula monſtrat in orbem
Mobilis, & ſtabili premit aurea ſigna rotatu.
Obſtupuit viſu Leopoldus, & anxius hæret,
Oblituſque ſui tacet; oblituſque ſuorum:
Solùm ea defixos tenet ad ſpectacula vultus.
Tum verò ductrix vocem Matrona reſoluit,
Et, Quid inacceſſas oculis animoque figuras
Contemplator, ait, ſperas euoluere ſenſu?
Obſcuros apices, & inenarrabile textum
Molis adire nefas, niſi me duce: ſigna latentum
Abdita verborum, me ſolùm interprete, diſces.
Nunc age, quandoquidem te plurimus excitat ardor;
Quidquid id eſt, animum paucis aduerte, docebo.
Hanc, quæ ſublimi ſe tollit pegmate, molem
Ipſa ego, naſcentum primæuâ ab origine rerum,
Compoſui, Cælique remotâ in parte locaui,
Tempus vt aſſereret, moderatrix norma futuri.
Scilicet errantem ſolis qui temperat orbem
Aliger, æternumque rotat iubar; ignea motus
Libramenta ſui, curſumque volubilis auri
Pondere ab hoc diſcit; ſolique aut laxat habenas,
Aut premit, vt ſolis monet hæc menſura volantis.
Ignotos apices, & inobſeruata legenti
Signa vides, ſparſaſq; notas? prô! quantus in illis
Senſus ineſt, quamquam ſine ſenſu errare videntur!
Hic ego, ſi neſcis, mores atque ipſa potentum
Nomina deſcripſi Heroum, quos æquus amauit
Omnipotens, numeróq; virûm ſecreuit ab omni,
Vt populos ditione regant. Nam mobilis index
Circuit, & ſemper currendo perficit orbem;
Nec

Nec priùs abſiſtit curſu, quàm ritè mouendus
Ad regnum ſubeat quiſquam, cui ſidera ſeruant
Imperium: tùm ceſſat apex, ſtabiliſque tenet ſe
Lingula venturi monitrix; atque indice gemmâ
Stat ſuper inſcriptum regali nomen in auro,
Deſignatque caput populis fatale regendis.
Nondum finierat Virgo, cùm prouida moles
Dat ſignum: inde quies, & inexſpectata rotarum
Segnities oritur: veſtigia comprimit index
Errabunda priùs; nomenque ex omnibus vnum
Delibat radio. Tum ſubdidit Arbitra, Cernis,
Vt faueat Deus? ecce Deus, Leopolde: quid vltrà
Spem trahis? en votis Cælum ſtudet: accipe ſortem
Diue propinquantẽ, veſtrumq; in fœdus ituram.
Aſpicis hoc ingens, quod inũbrat lingula nomen
Deſuper incumbens? ô nomen amabile Cælo,
O terris exſpectatum! compeſce timorem,
FERDINANDVS hic eſt, veterum ſpes vna parentum:
FERDINANDVS habet regni decus: ille vocatur
Ad ſceptrum, Imperij fortunatiſſimus heres.
O Pietas, ô ſancta Fides! quis amantior æqui?
Quis Paci melior? quis fortunatior armis?
Non illum geniale malum, non ducta profundo
Eumenidum manus, & minitantibus aſpera tedis
Agmina, non hominum furor imperioſus ab alto
Deturbet regni ſolio; cui lactea preſſit
Vbera Relligio: naſcentem ad limina vitæ
Accipit gremio Pietas: mox arbitra morum
Inſtituit Virtus: quibus ille altricibus, auras,
Cæleſtes auras, miſtas mortalibus hauſit.

DI TORINO

Sed quid ego hæc memoro? ſtudia in contraria tempus
In terris teritur: venturæ neſcia ſortis
Mens hominum, fatis pugnantia fata rependit.
Nunc age, ſecedant iræ: ſatis vſque malorum eſt:
Hac Othomana tenus populos agitarit Enyo:
Conſpirent animi, cum Cælo ſentiat orbis,
Imperet is, fati quem gemmea lingua repoſcit.
Hæc ait: auguſtoque trahens de vertice partem
Solis, inexhauſtâ qui tempora luce coronat;
Fulminat è ſuperis. It miſſile lumen ad vrbem,
Magnus vbi tenuit conclauia longa Senatus,
Qui Regem legat arbitriis: huc penniger ignis
Aduolat, & ſummis Heroibus intima ſenſim
Corda ſubit, penetratque animos, & pectora verſat.
Nec mora, concordes in publica commoda, ſubdunt
Heroës capita alta Deo, parentque iubenti,
Fatorumque moram ſubitis aſſenſibus implent:
Et FERDINANDVM generoſâ voce ſalutant,
Ingeminant FERDINANDVM: celſoq; locatum
In ſolio, Summi fortunâ Principis augent;
Demittuntq; animos, & nobile nomen adorant.
Salue, Magnorum Rex Auguſtiſſime Regum,
Terrarum communis amor; cui ſidera frontem
Antè corònarunt, quàm textile cinxerit aurum.
Ingredere ô votis, hominumque aſſueſce vocari
Iam nunc auſpiciis; pigra qui tibi regna, tuiſque
Sera querebantur ſuccedere præmia factis.
Teſtor inaſſuetos liquidâ dulcedine plauſus,
Et deſideriis popularibus edita paſſim

Gau-

Gaudia: terreſtres certant cæleſtibus oræ,
Vtra magis tibi regna vacent, animiq́ue trophæum
Ingenio meliore ferant. Pudet eſſe minorem
Hoc vno terram, ſi te vehat impare pompâ.
Nulla tuis regio titulis caret, omnibus idem
Diceris: Occiduus tibi Sol, tibi plaudit Eous:
Nec fruſtrà tibi plaudit; habet quo plaudere poſſit:
Nam tua nobilitas quo non viget inſita regno?
Germine magnanimo totũ complecteris orbem,
Et cum Sole geris diuiſum munus: vterque
Regna maritatis; tu ſanguine, lumine Titan;
Regibus ô genita, ô Reges genitura propago.
Et quiſquam placido teſtari gaudia vultu
Diſtulerit? viden? Heroum te maximus ordo,
Te populi minor aura vehit: tibi pectoris aulam
Explicat, inq; animis pompâ meliore triumphas.
Me quoque tangit honos, Cæſar, tuus; & mihi partem
Sumo libens inter communia gaudia: quamquam
Non adſum nouus obſequio; nec honoribus hoſpes
Vſque adeò ſum, Magne, tuis: ſic nominis omen,
Sic volucrũ Regina monet; quæ, munere veſtro,
Explicuit patrio nobis in ſtemmate pennas,
Inſertumq́ue animo ſignum gentile figurat.
Sed monuit meus ante alios Iuljanus, auitum
Nomen; honor noſtræ, ſi qua eſt ea gloria, Gentis,
Tempora Romano quondam ſpectabilis oſtro.

Ille tuo, Cæſar, nimiùm ſudauit in aruo:
Siue rebellantes cùm ſtrenuus iuit in hoſtes,
Arctoaſque niues, fortique habitata Bohémo
Regna frequentauit; naſcentis vt ora Chelydri
Frangeret, Huſſitæque timenda exordia flammæ,
Et malè creſcentes in fonte retunderet ignes:
Seu coniuratos Othomana reduxit in arma
Pannonas, iniuſtæque abrupit fœdera pacis.
Et, licet Odryſias in ſe conuerteret iras;
Non tamen abſtinuit, vitæque animæq; pepercit,
Illic Threicio non debita præda Tyranno,
Heu quas exuuias ſupremo in funere liquit
Hoſtibus! At vitam pro Relligione cadentem,
Purpureus quamuis in morte, dicauit Olympo.
Nunc etiã è Superis tibi, FERDINANDE, laborat,
Credo equidem, campoq; bonus deſudat eodem:
Ille iterùm ardentem flammis vltricibus Albin
Artibus è Cælo melioribus opprimet: ille
Intrepidos Morauos, & amantes arma Bohemos
Dulcia tranquillæ reuocabit ad otia vitæ.
Sic ego, ſic omnes noſtrâ de Gente vouemus.

IN CLAROMONTANVM COLLEGIVM PATRIBVS SOC. IESV PARISIIS RESTITVTVM A LVDOVICO XIII. GALLIARVM REGE.

SAPIENTIÆ *Euchariſticon dictum ab vno è Patribus Soc.* IESV.

CARMEN III.

NYmphæ, Caſtalides Nymphæ, quibus Aonis ora,
Et famulatrice leuis vngula ſuſcitat vndas;
Quandoquidẽ veſtris noua naſcitur Aurea terris
Aetas, ô agite, & magnis Heroibus æquo
Rumpite, nam decet, importuna ſilentia cantu.
Cernitis, vt facili vos Gallia voce ſalutat,
Gallia, Magnorum nutrix fortiſſima Regum,
Ipſa cothurnatæ Regina potentior aulæ,
Et mundi Regina ſui? Vos ſemper amœni

Phocidos ex oris ad nobile Pyrenæum,
Et lauru è viridi, vocat ad ſua Lilia victrix.
Ite agite, ô reduces auguſta ad limina Muſæ;
Quà celſo in ſolio, patrioque verendus in oſtro,
Eminet ingenuos inter LVDOVICVS Ephebos,
Iuratoſque Duces; cùm magno munere maior
Sceptra gerit, iuſtoque pius dat iura Senatu,
Multum animo, multum referens in fronte Parentem,
Factis æquat Auos, ſuperat virtutibus annos,
Herculeiſq; humeris Gallum ſuppleuit Atlãtem,
Nuper Aquitani ceſſantem à pondere mundi.
Sed quis tãtus amor LVDOVICI in pectore creſcit,
Vt Loyoleæ iamdudum Palladi clauſum
Lutetiâ in magnâ reſeret dotale Lyceum?
Dicam equidẽ, longâ repetẽs ab origine cauſſam,
Et ſua magnanimis reuocabo exordia factis.
Regius vt primùm Iuuenis penetrabile limen
Exijt ætatis, quam neſcia viuere vita,
Atque ignara ſui puerilibus educat annis,
Mutauitque idem melioris origine lucis
Prima rudimenta, incertique crepuſcula ſenſus;
Obtulit huic ſeſe qualis ſine nube videri,
Et quàm celſa ſolet veri Sapientia mater,
Numinis interpres, rerum caſtiſſima iudex,
Præteriti cuſtos æui, præſaga futuri:
Obtulit, aſpectuſque oculis mortalibus impar
Attonitum viſu Iuuenem ſtrauiſſet, & auri
Aura vel immeritæ damnaſſet lumina nocti,
Vel tenebris vitam; niſi tum Sapientia vultus
Immortale iubar radiiique plicatile lumen
Extinxet, iamque humanis obtutibus æqua,

Aequa oculis fieret, noſtræque ſimillima formæ.
Tum verò ante oculos Iuueni ſtetit, altaq; collo
Brachia diſpenſans, amplexibus oſcula mille
Miſcuit, &, Salue rerum ſpes vna mearum
Magne Puer, dixit, magnæq; propaginis heres.
Obſtupuit viſu LVDOVICVS, & aurea frontis
Sidera continuit defixo immobilis ore:
Nec voces alias ancillatura voluptas
Suggeſſit, niſi quas oculorum labra tuendo
Fortè dabant, lacrymiſq; loquacia ſenſa ferebāt:
Nam ſua ſunt oculis, lacrymis ſua ſunt quoque verba.
Olli ſubriſit placido mitiſſima vultu
Diua, nec erubuit longo ſermone morari,
Quas furabatur Superūm congreſſibus horas.
Vſq; adeò, Superis LVDOVICVM credidit æquū.
Pone metum meus, inquit, amor; teque indole dignum
Finge tuâ, factiſque potentibus excute mentem.
Illa ego ſum humanæ nutrix Sapientia mentis,
Filia Diuinæ, magno ſata Patre, priuſquam
Fundamenta noui iaceret pendentia mundi.
Inter Aquitanas quamquam mihi commoda gentes
Nunc etiam eſt domus, hoſpitioq; recepta fideli,
Lutetiam ante alias colui placabilis vrbes:
Me tamen imperium Martis, ſtrepituſq; ſonantis
Militiæ, geniuſque Patris, quem viuida virtus,
Et ratio bellorum, & præpetis impetus æui
Impulit in chalybes, & amantia ſanguinis arma,
Nolentemque ſua rapuit vertigine tempus;
Altera cui tenuit ſceptrum manus, altera ferrum:

Hæc, inquam, ſtudia, & votis contraria noſtris
Vota retardarunt, ne toto libera regno
Efferrem caput, atque omni dominarer in aulâ.
Tu mihi conditio regnandi, tu bonus eſto
Auctor amicitiæ, mecum partire labores
Et ſceptri decus, & ſolio ſedeamus eodem.
Sed tibi ſi quis amor venientia noſcere fata,
Et mens æqua vacat; paucis, aduerte, docebo.
Aurea poſtquam ætas ceſſuro degener Auro
Mutauit ſterili felicia tempora Ferro;
Ferrea progenies, & ahena rigere iuuentus
Cœpit, inexpletumque domare furoribus orbem.
Tunc ſcelerum facies, & inexorabile vulgus
Eumenidum, trepidiq; metus, vmbræq; ſilentum
Tartareæque acies, & nomina mille malorum,
Vnâ eademque ſatus vitiorum exercitus aluo,
Virtutum ſobolem crudeles linquere terras,
Et patrias iterùm remeare coëgit ad oras:
Me quoque ſors eadem & communia damna vocabant
In Superos, fateor; ſed iniquâ mente carebam
Terrarum officiò. Quid enim ſine Numine viuat
Terra meo, cui nulla ferat Sapientia vitam?
Tunc equidẽ excuſſi quãtum mihi ſuppetit artis,
Quantũ animi, quantum ſecreto in pectore mẽtis
Conſiliique latet: tunc memet in omnia verti
Tentamenta operum, memet ſapientior ipsâ:
Vt, quoniam nomenque meum Numenque verendum
Ad Superûm loca (ſic Superi voluiſtis) agebam;
Non tamen æternum ventura in ſæcula ferrem
Exilium, ſemperque recentibus acta procellis,
Pelleret

Pellerer humano numquam reditura theatro;
Sed mecum Omnipotens hanc me ſpem ferre iuberet,
Affore non longum lapſuri temporis æuum,
Quo priſcum tellus inarata rediret in Aurum,
Atque inſtauratis iterùm meliore metallo
Fortunata meis quandoque renaſcerer oris.
Sic ego mœrentem ſpe conſolabar amorem :
Atque erat vna ſalus, non deſperare ſalutem.
Ergo operi accingor. Sed, vt ire per omnia longum eſt,
Accipe, Magne Puer, quæ te miracula tangunt.
Nondum ſupremus mutabilis angulus orbis
Iuerat in Chalybes: domino nam cetera Ferro
Cùm ſeruiret humus; vix ora latentis Eoi,
Quà primo exoriens Sol lumine conſerit agros,
Palleſcebat adhuc ſplendore ſuperſtitis Auri.
Has ego ſepoſui rutilas Orientis arenas,
Quæ mihi certa forent venturæ ſemina meſſis;
Et mecum aduexi, dum ſidera nota ſubirem.
Tres illis radios lucis, quam tempora circùm
Semper ago; tres aſperſi genitabilis auræ,
Quam trahit omnipotẽs ſpirantis anhelitus oris:
Aureaque abieci mutatis pondera terris,
Artis opus miræ, medicataque numine multo
Semina, magnanimis factura nepotibus vmbram.
Quæ ſi fortè pigris olim voluentibus annis,
Auratæ in ſegetis culmos matura virerent;
Aurea tunc equidem ſperarem tempora, Ferro
Exſule, tunc terras & littora cara tenerem.
Decidit Aurum ingens, vectumq; curulibus auris,
Sedit humo, quam Sequanici tenuêre coloni,

Borboniique Duces, quorum tu maximus heres:
Tunc informis erat regio, & ſine nomine tellus;
Nunc regnatrices centum complectitur Vrbes,
Omnes ſideribus geminas, heroidas omnes.
Hinc tibi, ſi neſcis, inſcripti nomina Regum
Naſcuntur flores: hoc Aurea ſemine ſurgunt
Lilia, quæ fabricata diu, gremioque profundo
Fota laboratæ Cereris, nunc nobile Cælo
Attollunt caput, vt Virtutum ſæcula reddant,
Et generi veſtro gentilia ſigna colorent.
Ergo age; te res ipſa vocat, Iuſtiſſime Princeps.
Muneris hoc quantum eſt, magnum tetigiſſe Parentem
Debuerat, natum magnis Heroa: ſed illum
Detrectantem animo quæ non terat otia bellum,
Martis amor ſtudiumq; inimica vocauit ad arma.
Nouerit HENRICVS ſua ducere ſub iuga gẽtes,
Et regnum ſibi magnanimo ſubſternere ferro;
Tu partes agitare meas, LVDOVICE, memento.
Hæ tibi ſint artes, Toto liberrima regno
Tradere iura mihi, meque in tua ducere tecta,
Et placidæ pacis committere nomina terris.
Sic ait, & poſtquam terrarum nobilis hoſpes,
Oſcula libando ſapientem pectoris auram
Proniùs inſpirauit, inanes ceſſit in auras.
At Puer, & lacrymis abeuntem & voce ſecutus,
Ingemit, atque iterùm reddi ſpectacula vellet:
Certè eadem ſibi neſcio quæ per ſomnia fingit,
Et quæ non videt, illa tamen putat ora videri.
Sed non ex animo ſpecies ea candida fugit,
Fugit vt ex oculis: ſedet, æternumque ſedebit
Pectoris in gremio, ſenſuque repoſta profundo.
Tem-

Tempore nam ex illo liquidiſſima ſenſit amoris
Semina, & ardentes in viſcera ſerpere flammas;
Quas ſemel accendit, ſemperque euentilat aurâ
Diua leui, ſenſimque annis creſcentibus auget:
Donec anhelantes anguſto in pectore vires
Se maior, auctuque nouo violentior, ignis
Indignata moras incendia denique rupit
Iam matura operi, magnis & idonea factis.
Vix Atlanteos animos, & nobile collum
Suppoſuit regno LVDOVICVS, auitaq; frontem
Induit in ſerta, & ſceptrum inuiolabile geſſit;
Cùm teneræ ſecum reputans primordia vitæ,
Sidereoſque modos Diuæ hortatricis, & ora,
Ora ſub arcani penetralibus abdita cordis;
Neſcio quid ſenſit ſibi mentē inuadere magnum,
Et præter ſolitum flagrare medullitus ignes,
Impellique ſequax facta ad pulcherrima pectus.
Nec tacuit: Salue, ô primis mihi cognita ab annis,
Dia ſalutatrix; agnoſco Numinis omen,
Agnoſco vultum, & ſanctæ veſtigia vocis,
Nec tua me ſpecies, Sapientia, fallit amantem.
Tantùm, Diua, mone: tuus, explorare quid optes,
Sit labor, en ſequor, & quocumque vocaueris
adſum.
Hæc ait, & curas animum partitur in omnes,
Fixus humi tacitos oculos, ſecumque moratur,
Si qua ſibi placido ſententia pectore ſurgat.
Eſt in Sequanicæ turritis mœnibus oræ
Lutetia, vt Regum ſedes & Regia Regni,
Sic Sophiæ hoſpitium, & turbæ ſapientis aſylum.
Hîc olim in campo doctas exercuit artes
Loyolea cohors, cui nomina fecit IESVS,

Cura Ducum, quibus imperium nomenque propinquo
Finitur Cælo; tua ſed iuſtiſſima cura,
Ante alios, LVDOVICE, tuiſque obnoxia votis.
Hanc belli fatum & populator abegerat imber
Finibus è patriis: ſed, tempeſtate ſerenum
Excipiente diem, Galli Sol aureus Orbis
HENRICVS, patriis iterùm conſidere tectis
Iuſſit, & auſpiciis melioribus addere nomen.
Non tamen intercluſa, diuque prementia vocem
Atria, Palladiique forenſia iura theatri
Acceſſu patuêre virûm; ſed inhorruit aula
Muſarum, vox ipſa ſuum magis inde ſecuta eſt
Ex ſilium, & duri tenuêre ſilentia poſtes.
Cetera dum paſſim feruebat Apolline multo
Lutetia, hos aditus hiemantiaque arua tegebat
Horrida ſegnities, & amabant otia Muſæ.
Nam cāpos, vbi vixit honor, ſitus aſper habebat,
Forniceque in magno ſpirantia ſaxa veternum,
Et viridi ſtabant aſperſa ſedilia muſco.
Ingeniis non vlla ſeges: cultuque remoto,
Infelix gramen ſterilisque tegebat auena
Triſte pauimentum, ſtabantque in limine dumi.
Non tulit hanc ſpeciem LVDOVICVS: & inclyta quondam
Tecta dolens turpi mœrentis imagine luctus
Fœdari, Huc demum Sapientia me vocat, inquit,
Magnanimos agitans arcano in pectore ſenſus.
Ergo age, Apollineis ſuccede penatibus heres
Loyolæ magni, magniſque accingere factis.
Sic me Diua monet, ſic mēs præit æqua monentē,
Sic canit intus amor, meque in tua vota gubernat:
Lilia

Lilia ſic memorant fatalibus Aurea ramis.
I felix meus, & cognominis ardor Iesv,
Fortunata cohors, me Principe; vocis honorem
Redde theatrali, namque eſt ea cura, Lyceo.
Naturæ hîc mores, elementa latentia rerum,
E tenebris euolue, viamque inſiſte docendi
Informes animos, & cerea pectora finge.
Vix ea fatus erat Princeps, cùm ſponte reuulſis
Cardinibus tremuêre fores, nulloque trahente,
Dura catenatis cecidêre repagula valuis.
Tum verò antiquos ſera liberat ardua poſtes,
Hoſpitibuſque patent vltrò venientibus antes:
Quos neq; protriuit, quod proterit omnia, tēpus;
Non pietas Regum, populorũ haud mollijt ardor;
Non quater octoni domuêre procaciter anni.
Regis ad ingenium ſic ſe componere gaudet
Ipſa ſuo nuper adamante proteruior, at nunc
Mitis adulatrix humani ianua Regis,
Extemplò immeritis ſqualentia ſordibus ora
Depoſuit lætata domus, nec vt antè ſolebat,
Gymnas inornatã temerauit arundine frontem.
Sed facies, qualem Cæleſtibus eſſe deceret,
Olli erat, aut Cereri, cùm vere ſuperbit aprico.
Miratur rerum formas, vt fortè remotus
Viſendi ſtudio confluxerat vndique, Gallus.
Ipſa cateruatim ſuperis è ſedibus adſunt
Agmina Virtutum, quotquot variabile ferrum
Atque Erebi manus à noſtris procul egerat oris.
Vna ſed ante alias Sapientia dirigit agmen,
Auratoſque ſuo de ſemine ſurgere flores
Aſpicit, & ſimili frondeſcere ſæcla metallo.
Ergo operi dicit prima argumenta futuro

Aetherei Matrona chori; Patrumque Senatum
Pronius inuitans placidâ ſic voce profatur:
Huc ades, optatoque iterùm te crede Lyceo,
O Loyolei generis noſtrique propago.
Scilicet hæc olim deuota palatia Muſis
Longa tuæ nimiùm tenuêre obliuia vocis.
Iuſtitio ſatis vſque datum: ſat iurgia nota
Palladij ſiluêre fori. Quid inertia tantùm
Otia traducat docto ſine munere Pallas?
At vos, ô Proceres, quorum mihi plurima ſurgit
Gloria, Sequanici gens conſultiſſima recti,
Qui ſtudiis mentes iuuenum aſperioribus æquas
Inſtruitis, multâque inſignes redditis arte;
Eſte boni, ſocioſque laboribus addite veſtris.
Tuque magiſtratu Sapientum ô Curia princeps,
Vnde triumphatrix ſacrorum oracula poſcit
Gallia, famâ ingens, meritis ingentior Ordo,
Cui, proprias vt opes, ſic nomina contulit auctor;
Excipe, quos reddo, comites tua iura ſecutos.
Iunge animos, facilisque piis allabere votis;
Vtraque ſi velox ad mundi littora nomen
Cum Sole extendis, nec cum Sole occidis vnquam:
Si nuper rectus Paulo ſub Principe iudex
Dicebare, graui tua cùm ſententia neruo
Exiit, æquatoque merentem vulnere preſſit
Defectorem animum, deſertoremque ſacrorum;
Qui Vaticani fœdus modò transfuga Patris,
Hæſit ad Oceano circumflua regna Britanno:
Cui tamen intereà manibus fabricata magiſtris
Argumenta parat Romano Græcia niſu,
Auſpiciumque ſecuta tuum, iam dirigit arcum,
Expedit

Expedit & neruos, & tela Cydonia torquet,
Tractatura iterùm quod iuſſit Gallia vulnus.
Denique, ſi tantum LVDOVICI nomine gaudes,
Aut te ſi quis amor noſtri, ſi gratia tangit;
Laudibus hanc etiam natalibus adiice partem,
Vt ſobolem tueare meam, ſociamque laborum
Eſſe velis, quam nulla tibi vis eximat æui
Impia, cui nulli ſine te quærentur honores.
At Loyoleæ, LVDOVICE, propaginis hoſpes,
Heroum genus, atque idem fortiſſimus Heros,
Iuſtitiæ proles, ſanguis meus: en erit vmquam,
Vt tibi perſoluam grates, vt præmia reddam
Debita, qui terris ſcelerata tuentibus olim
Sæcla, recedentem, Cælique ad ſidera pulſam,
Humanique iterùm reuocatam ad luminis auras
Me tegis, atque nouas ſemper traducis ad oras,
Felices oras, felicia tempora; nec me
Cura fefellit iners Aurum fatale ferentem,
Sperantemque meis fortunatiſſima rebus
Auſpicia in terris, ſimili ſi fortè metallo
Semina florerent, Aurataque Lilia ferrent?
Euenêre; Domus Borbonia reddidit Auro
Sæcula præterito, meque in mea regna remiſit.
Quid deſperandū LVDOVICO Principe? vos ô
Sidereæ Comites, Cæli quæ ducitis auram,
Incorrupta Fides, & nudi conſcia Veri
Virgo, verecundusq; Pudor, & amœna Venuſtas,
Et Recti tenor, & domitrix Prudentia fati,
O agite, & ſimili Iuuenem ſtipate coronâ;
Quandoquidem primas venientem in luminis oras
Olim excepiſtis, memini, pueroque dediſtis

Non

Non ſine mente animos, & non ſine pectore
corpus.
Tuque adeò ante alias nitidis Pax aurea pennis.
Huc ades, æthereaſque relinque volubilis Alpes,
Quò te magnorū LVDOVICVS in agmina Rēgū
Impulit, & ramum prætendere iuſſit oliuæ.
Vidimus Aemiliæ campos Phaëthontiaque arua,
Quæ Padus aëreo loca ſubdidit Appennino,
Regnatoſque diu Dominis Inſubribus agros,
Quos circum Ligures, quos circum Allobroges
errant;
Vidimus ingenti latè exundare tumultu,
Et conſanguineas armare in prælia gentes.
Accepit ſtrepitus, & ſæua ſonoribus arma
E patrio Tiberinus agro, timuitque Latinis
Roma ſecuturum poſt ſæua tonitrua fulmen.
Forſan & Auſoniæ regionibus vltima tandem
Fata minabatur tempeſtas ferrea belli;
Oenotriamque ſuper iam ferreus aſtitit enſis,
Qui cor Italiæ petiiſſet auarus honeſti
Sanguinis, & vitam vitæ ipſo in fonte bibiſſet.
Sed tu Romano iunctus, LVDOVICE, Parenti
In tua traxiſti currentem vota PHILIPPVM;
Vt pacem coleret, cognataque poneret arma.
Si viuit, vobis jam debeat Itala tellus:
Si tulit horrendos Othomanica in arma timores,
Si fatum aufugit, fatique vicaria tela;
Veſtræ opis eſt, veſtris incumbit gratia factis.
Vos, precor, hunc, Superi, Iuuenem ſeruate, merentem
Viuere Neſtoreos, ſemperque viriliter, annos:
Nec, quia iam terris LVDOVICVM Regia Cæli
Inuidet,

Inuidet, in ventos abeant pia vota precantum:
Hîc longos agat ille dies, hîc audiat aulæ
Magnanimus Princeps, & ſeruantiſſimus æqui.
Quotq; dies aget, innocuos ſine cæde triumphos
Tot ferat, & magno maior Patre comprimat hoſtes.
Dixit, & attentas Sapientia liberat aures.

SANCTORVM DIDYMI ET THEODORÆ INGENIOSA ET DEFENDENDÆ VIRGINITATIS PRAESIDIA ET MORTIS PRO CHRISTO OBEVNDÆ CERTAMINA.

Paan à Franciſco Boncompagno Sem. Rom. Conu. dictus.

CARMEN IV.

NOn mihi tu, Didyme, innocui flos integer æui,
Illaudatus eris: non tu, Theodora, pudico
Exæquanda viris animo, licet impare ſexu;
Femina, ſed veteres Heroidas inter habenda.
Nobile pár Iuuenum: fortiſſimus alter in armis,
Altera virginei pulcherrima flore pudoris.
Excepto, quòd vterque pio certamine pugnat:

Maturare necem, aut ſeruati nomen amici
Præripere, aut certè ſocium præcedere morti,
Et priùs interitum pro Relligione paciſci:
Vno diſſimiles, ad cetera crede gemellos,
Formâ ambos animiſque pares, ætatibus ambos:
Nulla quibus, niſi fatorum, diſcordia; nullum
Diſſidium, niſi mortis, erat; communia vitæ
Commoda, communis terræ natalis origo,
Quam fluuio humectat myrrhæ ſudator Orontes.
Magnum opus aggredior, turbâ Libethride ma-
ius;
Et, niſi me Pietas tantarum conſcia rerum
Erudiat, penituſque rigentia pectora luſtret,
Ingenium mihi ſit magnis ambagibus impar.
Aliger, ô ſuperæ non vltimus arbiter Aulæ,
Quem penes Aſſyrij cecidit cuſtodia mundi;
Seu Carmelon amas, habitabile Vatibus antrum,
Seu colis aërias oræ Libanitidis arces;
Huc ades, & teneros aſpira in carmina ſenſus;
Perfidiæ, ſenſus, quos nulla redarguat ætas.
Et meminiſſe potes; quando tibi gratia facti
Prima manet: tu conſilij fidiſſimus auctor,
Nec ſine te ſeris ea fama nepotibus hæret.
Clauſerat indigno Theodoram carcere fornix:
Hîc vbi non manibus, ſed iniqua catena pudori
Induitur, ſi virgineum maleſanus amorem
Emolliret amor, propriâque domaret in arce.
Iamque adeò non hîc Fidei fera bella parantur:
Bella Pudicitiæ ſubeunt: & cauſſa Deorum
Quæ fuit; eſſe hominum petulantibus incipit
auſis.
Illam Tartareis excîta paludibus vnda,
Bellan-

Bellantum aggreditur: facibus iuuenilibus illam
Turba; ſed ante alios, illam ſua denique forma
(Forma, malum, quo non vllus violentior hoſtis)
Oppugnat, propiorque timenda pericula nectit.
At Pudor, & niueæ taciturna Modeſtia frontis
Stat contrà, Rectique tenor, ſtat maſcula Virtus,
Defixique in terram oculi, ſtat paupere cultu
Simplicitas: poſt hæc animo quantum inſtar in vno eſt?
Et poterit, cùm bella ferant, vnum omnia pectus
Tela hominum furibunda repellere, tela Deorum.
Intereà, dum ſacrilegis mora moribus obſtat,
Et circumfuſo vallatur milite fornix;
Explicat in Cælum flagrantia lumina Virgo,
Lumina, nam voces prohibet dolor. Illa tacendo
Quærit opem; quærit, ſi quam medicina ſalutem
Afferat, & mutis accendit ſidera votis.
Nec lacrymis caruêre genæ, ſi vocibus ora.
Quamquam oratrices animi cùm fortè querelas
Fundere conatur, tot inarticulata reſultant
Verba ſono, nec habent vllos ſuſpiria ſenſus:
Non ideò, indeprenſa licet, tamen irrita ſurgunt
Pectore; ſæpè etiam, quamuis ignara loquendi,
Argutantur, habentque ſuos ſuſpiria ſenſus.
Nec minùs intereà turbati nuntia cordis
Signa præit vultus, variiſque coloribus anceps
Aeſtuat, vt primo cùm ſole reciprocat vnda.
Nobile virgineâ credas in fronte theatrum:
Hîc vbi legitimus pugnæ campique magiſter
It Pudor, & totâ moderator oberrat arenâ:
Hîc Timor, infelix animi mouet arma ſatelles:
Hîc ſubit hortatrix auidæ Fiducia mentis.
Pallorem

Pallorem Rubor, & Pallor fugat arte Ruborem,
Miſcenturque vnà; ſed, cui victoria palmam
Annuat, incertum facit inclementia pugnæ.
Quid faciat, quâ vi dirimat certamina Virgo?
Vritur, & dubio curarum fluctuat æſtu,
Et timet & ſperat, palletque rubetque viciſſim,
Spemque metumque rigat lacrymis, augetque rigando
Semper; & in ſegetem mœroris ſemina creſcunt.
Sed dirimit certamen Amor, quod cura Pudoris
Mouerat; ingenuæque preces, auditaque Cælo
Vota, cicatricem obducunt, & vulnera placant.
Nec mora, ferrato ſtrident in cardine poſtes:
Fit via, panduntur ſubeuntibus atria mortis.
Quis tibi tum ſenſus Virgo? ſi quem tibi ſenſum
Liquit amarities, neque frigidus abſtulit horror?
Vt tibi cor aperit portæ fragor ille patentis?
Ecce autem, ante alios Iuuenis pulcherrimus omnes
Emicat, & celeri media inter millia ſaltu
Sternit iter, ſeſeque obſeſſa in limina condit.
Illi forma ferox, ſed amœna ferocia formæ eſt.
Colligit intonſos ærata caſſide crines,
Pectore belligero thoraca obducit, ahenis
Horrentem ſquamis, ſuraſque illuminat oſtro;
Barbaricam ſuper his chlamydem, peregrinaque Regum
Tegmina per collum nodo ligat: inde fluentem
Liberat ex humeris, & vtroque reſoluit ab armo.
Omnia bellanti ſimilis, vultumque, coloremque,
Armaque vibratâ iam ventilat ardua dextrâ.
Vt ſtetit ante oculos, & inertia Virginis ora,
(Ora

(Ora modis, vt numquam aliàs, pallentia miris)
Sic vocem extemplò rumpit, frontemq; ſerenat.
Parce metu, Theodora, Deus iubet: excute pectus,
Si quod pectus habes, magniſq; accingere factis.
Hæc ille. At curas non ponit territa Virgo;
Nam timor ingreditur, quà ſemita facta ſaluti eſt.
Hæret, & attonitæ ſimilis mentita veretur
Dicta; nec obſequium, ſed cæcas militis artes
Nondum tuta ſatis credit; fraudemque latentem
Mollibus in verbis, metuitq; in melle venenum.
Quidquid id eſt, habitumque timet vultumque loquentis.
At Iuuenis: Quid adhuc venturæ conſcia ſortis,
Caſta miniſteria, & diuortia certa timoris,
Ipſaque præſidia horreſcis, dextramque medentem?
O age, parce metu, teque his procul eripe tectis:
Nam neque cauſſa metu, lacrymiſque dolentibus iſtis
Tempus eget: nunc te maiorem finge periclis:
Vtere fortunâ, quoniam licet, vtere Cælo.
Me quoque, ſi neſcis, tecum communia vitæ
Vota ligant; me CHRISTVS habet, me iura Fideſque:
Et Domino dixi pia ſacramenta Pudori.
Fortè tuas Didymi nomen ſi venit ad aures,
Ille ego ſum; neque virginei prædator honoris,
Sed cuſtos adſum; quem (Cæli ſidera teſtor)
Si vacet, hac animâ moriẽs, hoc ſanguine paſcam.
Intereà, quoniam melior ſententia ſurgit,

Mu-

Mutemus veſtes. Ego, quamquam ex milite
virgo,
Defendam memet. Tu contrà, ex virgine miles,
Teque tuaſque niues rapies tutiſſima flammis.
Quare age, nunc animis opus eſt, nunc pectore
forti.
Hoc mihi mens agitat; ſed agunt ſua Numina
mentem,
Fauſtaque promittunt audacibus omina cœptis.
Vix ea, cùm mediis ſeſe penetralibus infert
Neſcio quid magnum meditans argentea nubes.
Vt gremium radiis graue diffidit; emicat ingens
Sciſſâ nube dies, & luminis aureus imber.
Verùm, vbi ſidereos lux circumfuſa reducit
Hinc atque hinc radios, & aperta per ātria
purgat,
Alati Iuuenes, genus inſuperabile formâ
Apparent, famulaſque manus, operoſaque præ-
ſtant
Obſequia, & factis ingentibus omina firmant.
Tum verò multâ Theodoram in luce latentem
Expediunt alacres, armiſque virilibus aptant.
Hic habilem loricam humeris, & ſutile ferrum
Induit; in galeam caput inſerit ille comantem;
Dant alij chlamydem dorſo, ſuriſque cothurnos;
Pars gladio dextram inſertat, clypeoq; ſiniſtram,
Et bellatricem componit Amazona pugnæ.
Pars contrà, Didymum muliebribus implicat
armis;
Armaque ſunt, nullo chlamys exſaturata veneno,
Qualem texuerant natiuæ vellera lanæ:
Et leuis incompto de vertice carbaſus, imos
Lapſa

Lapſa ſub vſque pedes, nullis interlita gemmis,
Cuſpidulis nullas intexta rigentibus oras,
Non leuibus punctim plagulis inciſa; neque illam
Aut oſtro manus, aut ferrugine pinxit Iberâ.
Picta ſatis chlamys eſt, variataque diuite luxu,
Caſta verecundæ quam Virginis ora colorant:
Ipſa ſibi pretium, decor & ſibi plurimus ipſa eſt
Virginitas; nec amat pudor oppugnatus honorem,
Quem dedit incautæ pellacia ſubdola formæ.
At manus Aligerûm poſtquam generoſa peregit
Officia, & ferro cinxit cuſtode Pudorem;
Extemplò aërias incognita ceſſit in auras.
Hîc animos primùm recipit perterrita Virgo;
Cui metus atque dies tulerat modò plurima noctem,
Et tenebras oculis animoque creauerat horror.
Iam verò exſultat; maioráque viribus audet
(Sentit enim ſibi pectus agi) iam fronte rigorem
Effera mentitur, iam pectore concipit ignes
Pectore maiores, & pluſquam Virginis iras.
Sunt tamen hæc placidi confinia certa furoris,
Non furor; irarum rubicunda crepuſcula vultum,
Non iræ accendunt: vellet furibunda videri;
Non tamen aut furor aut furiarum exercitus omnis
Sunt ſatis, vt Virgo poſſit furibunda videri.
Ira venuſtatem inflammat, iramque venuſtas
Temperat; vt dubites, an amœna modeſtia frontis
Iraſci dictat, fierine modeſtior ira.
Tantum operis vultu natura locauit in vno.

Tum Didymus, Quoniam Cælum tibi militat, inquit;
I felix, i Virgo; illis aſſueſce ſub armis
Vincere, non illis victoria diſtat ab armis.
I, ſequere imperium & caſtiſſima ſigna Pudoris.
Dux Pudor eſt; ſectare Ducem quocumque vocaris.
Hæc ait: at Virgo, poſtquam iuſtiſſima vultu
Vota ſerenauit, confeſſa immobile pectus,
Riſit; &, Hos, inquit, dum vita tuebitur artus,
Te quoq; ſectabor, Didyme, ô dulciſſime rerum,
O fidei comes, ô vitâ mihi carior ipsâ,
Votorum cuſtos propugnatorque meorum.
Vitam quam duco, tibi ducitur: accipe prædem
Me vitæ, dum te capio fugitiua, Pudoris.
Felix, heu nimiùm felix, ſi munera reddam
Debita, & hanc animam pro virginitate rependam:
Supremùm intereà vale, ô mea maxima cura.
Dixit, & intrepidos educit limine greſſus,
Militis os habitúmque gerens, ſed pectus honeſtæ
Virginis; erumpitque aditus, interque frequentes
It Iuuenum cuneos, ſuperatque interrita portas.
Iamque adeò caſus fugiendo euaſerat omnes;
Cùm ſubitò foribus circumdiffuſa iuuentus
Infert ſe vacuis facto velut agmine tectis,
Viſendi ſtudio, quem ſumma pericula finem
Pugnandi dederint; victrix, an victa ſuperſit
Virginitas. Omnis populorum huc confluit ordo
Diſcere, quem facili referat Theodora tenorem
Fronte; verecundo viſurus in ore trophæum
Proſtratæne Pudicitiæ, victíne Furoris.

In-

Intereà vix factum oculis vigilantibus hauſit
Præſes, qui totam frænabat legibus vrbem;
Agnouitque virum, dum credidit ora tueri
Virginis: An falſæ deludor imagine lucis?
(Exclamat) trepidámne aliquod malè numen amicum
Eripuit mentem? quis me mihi ſubtrahit error?
Virginibúſne etiam ſit noſtra potentia ludo?
O caput infandum, Stygiiſque piabile pœnis!
Siue dolos agitas, faber ingenioſe malorum,
Siue reluctantem deducis carmine Lunam:
Quiſquis es; incerto certas pro crimine pœnas
Solue mihi calido nunc ſanguine: vincula lictor
Necte cruentando capiti, diſſolue ſecurim,
Enſe recidatur digniſſima funere ceruix.
Dixerat. At dicto citiùs funeſta per vrbem
Pompa trahebatur; mactandaque victima ferro.
It Didymus, multo ſtipata ſatellite ducens
Membra, reus mortis, ſed morte ſuperſtite maior:
Nec tamen it, rapitur; nam ſe rapit ipſe volentem,
Quem ſuus vrget Amor, cogitque ad funera greſſum
Moliri ſua. Carnificem quis neſcit Amorem?
Deuenêre locos, vbi propter mœnia campus
Explicat arboribus caueam domibusq; negatam.
Scilicet hoc demũ plaudenda tragœdia Circo eſt.
Iam Didymus ferro dabat inuiolabile collum,
Carnificem voce increpitans, mortemque morantem:
Iam lictor teneri ſitientem ſanguinis enſem
Extulit, atq; altè meditantem vulnera dextram.

 Incidit

Incidit huc, vt fortè latentia tecta Pudori
Quærebat Theodora (illam caſúſne Deúſne
Duxerit, incertum) medioque in funere vidit
Hærentem Didymum, & iam iam ſua fata vocantem.
Vt vidit Virgo, vt periit! ſpectacula vultu
Protinus auerſata cohorruit. Inde pericli
Immemor, armorumque, pudicitiæque, ſuique,
In medios ruit, & mediis in millibus vna,
Siſte; quid, exclamat, Iuuenem nil tale merentem
Obtruncas ferro, lictor? conuerte ſecurim
In caput hoc: merui, nec deprecor; vtere ferro.
Hæc ſimul aiebat, ſimul & nudabat ad ictum
Ingenuæ ceruicis ebur; ſimul obuia morti
Colla obiectabat, chalybem exceptura cadentem.
Tantáne virgineo virtus in pectore regnat?
Tum ſic aggreditur dictis, cauſſamque perorat:
Audiat hæc Cælum, voſq; ô ſanctiſſima mundi
Lumina, perpetuæque volantia ſidera flammæ.
Innocuo Iuueni properatis funera ciues:
En rea, quæ nuper truculentum egreſſa lupanar,
Deluſi veſtras animis imbellibus artes.
Ite viri, quibus vna poteſt imponere Virgo.
Neu mea virginitas rigidis ſpectetur ab armis;
Sæpè puellaris ferro eſt aptiſſima virtus.
En ego ſum Theodora, ego conſtans illa Deorum
Contemptrix; quibus æternas vos tollitis aras.
Ipſa mei vindex adſum, me culpa repoſcit
Ad pœnam: fugi; fuga compenſanda cadendo eſt.
Tu verò, Iuuenis, quem non tua crimina torquêt,

Non

Non tua pœna premit; ferro nunc ſubtrahe collum.
Arma, quibus circumdor, habe tua:funera numquam,
Quæ mea ſunt, cedam. Iactura facillima lucis
Femineæ:quid enim viuendo femina poſſit?
At tu viue meos, qui vitâ es dignior, annos:
Tu patriæ ſupereſſe velis; ego morte pudorem
Tutabor meliùs, ne ſit mihi vita pudori.
Fortè reformidas, timidæ ne Virginis ora
Morte perhorreſcant? Iuuenũ fortiſſime, curam
Quam pro me geris, hanc potes & deponere pro me;
Me quoque tangit honor; mihi factum ad vulnera pectus,
Fatorumq; capax; mihi prodiga ſanguinis ætas,
Quæ miſeram didicit viuendo ſpernere vitam.
Cede; per has ego te lacrymas, per ſi quid amantum
Cura poteſt, Didyme: en pectus penetrabile ferro,
Me facilis permitte mori: quique antè dediſti
Dona pudicitiæ, da nunc mihi munera mortis.
Imò per has ego te exuuias, & conſcia facti
Vela precor, Didymus clamabat, deſine cauſſas
Nectere; magnanimos agnoſco pectoris ignes.
Indolis ô quantæ Virgo! quæ cauſſa nocentem
Me facit, innocuam te ſubtrahit illa periclo.
I quò virginitas tua te vocat: i procul armis,
Nam procul à caſtris ſunt & ſua caſtra Pudori:
I procul. Immeritam ſceleri te nuper ademi;
Tu contrà eripies palmã mihi? Plura parantem
Dicere non tulit implacabilis ira tyranni.

Ergo age, quandoquidem pro funere certat vterque;
Vincat vterque, inquit: neque votis deficit enſis,
Nec manus. I lictor, molire in colla ſecurim;
Conſtet inexhauſto victoria ſanguinis imbre.
Dixit, & intrepido furibundus acinace miles,
(Heu facinus!) Didymi caput à ceruice reciſum
Oſtẽtat, ruit ipſe ſuo tum pondere truncus.
Inuidit Theodora necem, doluitque relinqui:
Tum verò in mortem caput obijcit; illud ab alto
Penſilis ictus agit: quamquam (ô miracula!) lictor
Ter conatus erat ceruicem abrumpere ferro,
Ter fruſtrà cecidêre ictus; ter amica refugit
Dextra nefas. Tanta eſt caſti reuerentia vultus.
Purus abit de cæde cruor, terramque pudico
Imbre rigat, terramque ſuo facit imbre pudicam.
At Theodora grauem facili dat mole ruinam,
Sed procul à Didymo, velut aſpernata iacentem;
Nec ſuper exſanguis corpus procumbit amici.
Vſque adeò coluit, vel nigrâ in morte, Pudorem.
At ſeſe æthereis animæ amplectuntur in oris:
Fortunatæ animæ! quibus indulgentia fati
Mutua ſidereas accendit in æthere flammas.
Cedant Oebalij, felicia ſidera, fratres:
Eximit en Didymus Cæli ſtatione gemellum
Caſtoris; & Virgo, pro Caſtore, caſta triumphat.

EVPHRASIÆ VIRGINIS ALEXANDRINÆ INGENIOSA EX IMPVRO MILITE VICTORIA.

CARMEN V.

CRedideram niueo notum candore Pudorem,
Illuſtrique ſatu & magnis natalibus ortum,
Moribus æquantem clarũ genus, indole nomen:
Sed timidæ virtutis, & in ſua caſtra reductum,
(Caſtraque cordis habet) tutum hoc ſplendeſce-
re vallo,
Nil extrà audentem, conniuentemque periclis,
Et cautum potiùs, quàm fortẽ Heroa putabam:
Vt video, comperta fidem experientia damnat.
Interdum rubuêre niues: acerrima viſu
Fit quoq; Virginitas; prodit roſa caſta per auras,
Nec ſolis per tela perit: feliciter audet
Sæpè Pudor, nõ artè minùs quàm pectore ſolers;
Inuentiſque ſagax famam virtute meretur,
Nec ſolùm ingenuus, ſed & ingenioſus haberi.
Auſpice te, mihi victa retrò ſententia ceſſit,
Euphraſia, ô medios Virgo ſecura per hoſtes:
Quæ licet indignâ circùm obſidione lateres
Cincta ſatellitio vitiorum, & rebus in arctis;
Quà tamen exires, generoſa inuenit honeſtas,
Illuſitque procis, & dignum vindice nodum

Infregit ferro, quem ſoluere cœperat aſtu.
Sit dolus, an virtus, tenui diſcrimine pugnat;
Nominibuſque aliis, eadem natura locatur:
Quippe dolus cui cauſſa pudor, fit deniq; virtus.
Nobilis ô Syriæ ductrix, cui ſcilicet vni
Debuit intactos oppreſſa Betulia ciues;
Sola, ſed ingenti pugnatorum agmine maior,
Nec victrix Holoferne minor; tu caſta vel ipſis
In caſtris ſcelerum, medioque niualis in æſtu;
Suggere magnanimos operoſa in carmina ſenſus,
Quos cælo quondam hauſiſti, cùm percita multo
Numine, perpetuâ damnaſti nocte Tyrannum
Inflatum, forti pro Marte, Cupidine turpi.
Tu gemina huic magnis virtutibus: vtraque telum
Abiectâ tractaſtis acu; ſed diſpare fato:
Vtraque merſiſtis ferrum penetrabile; ſed tu
Hoſtili iugulo, iſta ſuo: tua dextera caſtam
Te finxit fortemque; ſed hanc fecêre pudicam,
Qui qualem fecêre, minùs voluêre lacerti.
Denique te merito laudarunt carmine ciues;
Hanc equidem affectu ſimili, niſi cantibus æquis,
Molior in ſeros tranſcribere temporis annos.
Eſt in Mygdoniæ turritis vrbibus oræ
Aſtacus imperio felix, felicior aruis;
Nec minor ingeniis hominum quàm laude locorum.
Nobilis hîc Virgo; Euphraſiam dixêre parentes,
Ipſaque ſe fecit: nam tanti nominis hauſit
Gratuitò ſonitum; merito vim nominis emit.
Olli ver vitæ, atque annis florentibus ætas;

Aetati par forma, vigor placidiſſimus oris,
Nec ſine maieſtate lepor: ſtat fronte, Pudoris
Regia, ſtat ſolium vultu; cui gratia cuſtos;
Gratia, quam facili partu produxit Honeſtas.
Præterea puræ fidei inuiolabile pignus
Deuouit Chriſto; quem ſponſum nacta Deum-
que,
Reppulit humanas, Diuinæ obnoxia, tedas.
Iamque ſacramentum factis ingentibus æquat.
Vix etenim infames dare thura iubetur ad aras;
Cùm ſubitò imperium, & nomen ſine numine
Diuûm
Auerſata, neci vouet inſuperabile pectus.
Sed peior nece pœna venit: mutatur iniquâ
Conditione reus; pro Virgine, plectitur inſons
Virginitas, pretiumque niues ſubiêre cruoris,
Ingenuuſque pudor fidei fit ſponſor & obſes.
Nec mora, ſortitu inceſto damnata Virago,
Militis in partem cedit. Iam victima blando
Lenoni abripitur. Quàm mallet præda leoni
Ire fero! tigribuſque magis formidat amantem.
Dum graditur, quæ vota trahit, quos pectore
motus
Implacata ciet! non tot mare turget in vndas,
Cùm pelago incûbunt mixtis Aquilonibus Euri,
Quot pauor Euripos, quot cura reciproca fluctus
Euphraſiæ ſub corde facit: timet omnia circùm;
Se tantùm exceptâ, quæ nunc ſibi cauſſa ti-
niendi eſt.
Stat fidei ſecura ſuæ; ſuſpecta veretur
Cętera: ſtat tamen, & celsâ ſeſe arce tuetur
Pectoris: & contra illecebras ſatis vna repugnet

Virgo; ſed aduerſum vires quid femina poſſit?
Quid paret? en iterùm redit inſuperabilis æſtus:
Quem trepidus timor, & curarum exercitus ingens
Inſtaurant, puræque abigunt ſolatia menti.
Saltem animi turbas, & quæ ſub pectore turgent
Erumpat tormenta; pios ſaltem edere queſtus
Detur, & vlciſci taciturnum voce dolorem.
Sed non aure vacat; cui nec ſe fidere tutum eſt,
Nec, non fidendo, malè deſpondere ſalutem.
Ah meliùs taceat; ſed cura exæſtuat imo
Clauſa ſinu, vitiumque alitur, viuitque tegendo.
Nec tamen vſque tacet; proprias, ſe teſte, querelas
Effundit, loquiturque attenti cordis ad aurem.
Quid faciam, aiebat, quam vincla nouiſſima preſſant?
Et video, & doleo: nec me quo vindice ſoluam
Aſpicio: iam pugna datur, nec teſſera ſurgit.
Sola meas tutabor opes? ſola agminis inſtar
Defenſantis ero? clypeus mihi ſola relictæ?
Et quod erit pugnæ pretium? quo pignore belli
Certandum? quæ victori promiſſa dabuntur
Præmia? quæ miſero ſuperent ſolatia victo?
Femina nulla trahat me fortunatior auras;
Si nece, ſi fuſo ſtet tantùm palma cruore.
Nunc, quod eget lacrymis, equidem victoria conſtat
Sanguine, ſed niuium: finitur cæde triumphus;
Verùm cæde pudicitiæ; quæ vulnera vitam
Non rapiunt, meliorem animam de pectore tollunt.

Sic-

Siccine Virginitas, ô pulchrum & amabile nomen,
Cara mihi ſoboles, partu mecum orta gemello,
Innutrita vlnis, atque vbere lactis eodem,
Iam mihi pro lacte, inque ipſum diffuſa pudorem,
Et venis confuſa meis, mea vita, meum cor,
Eripiare mihi manibus laceranda cruentis,
Me ſpectante nefas, me ſoſpite? non erit vmquam
Vt patiar ſic ire fidem. Seruabere mecum,
Spero equidẽ, vel non ſine me mandabere morti.
Hæc ſecum ingeminat, mentemque, vt turbine, verſat;
Si qua ſalus miſeris pandat diuortia curis.
Sæpè etiam vultum attollens, & lumina cælo
Suſpirabat opem, Dominumque in vota vocabat;
Et quid ego, inclamãs, hîc maceror? inde ſalutem
Exſpectare decet, ſpes eſt vbi certa ſalutis.
Tu meliùs mea iura, tibi iurata tot annos
Sponſe hominũ, ſponſorq; Dei ſeruabis, & æſtum
Defendes niuibus, quibus imminet inuida tabes:
Et quoniam potes, ipſe tuam tutabere dotem.
Vix ea; cùm ſubitò placidiſſima ſemita lucis
Emicat è cælo, per & imas ductilis auras,
Seque minutatim exacuens velut ignea cuſpis
Deſuper, Euphraſiæ caput occupat; inde profundum
Pectus adit, iugulatque metus, curaſque ſerenat,
Atq; animo ardorẽ, bona quo ſua vindicet, addit.
Intereà blandæ Veneris gladiator arenam
Occupat, indecorum furiis armatus Amorum:
Blanditiaſq; mouet; quas caſta repellit Amazon;

Et Virgo imbellis, ſine defenſore, ſine armis,
(Quis credat?) ſolâ ſe virginitate tuetur,
Et quæ meta fuit, clypeus fit deniquè telis.
At non & niuibus gliſcens extinguitur ardor
Militis impuri; nec quæ cauet, obruit ignem:
Quin potiùs creſcit non exſaturata libido,
Et redit ad fontem, ſeque exedit,& magis vrget
Fœda fames animi, ſurgitque coërcita maior.
Non aliter tumido violentus gurgite torrens
Cùm furit, indulgenſque ſibi per deuia fertur;
Si quis fortè moras & inexſuperabile vallum
Obiicit, in ſeſe furias grauis vnda retorquet,
Et tumet, & ſeſe fluctu redeunte flagellat,
Aggereque ex ipſo, velut indignata repulſam,
Ducit opes animumque, atque vbere voluitur auctu.
Nec minùs Euphraſiæ viuax conſtantia creſcit,
Dum magis impetitur: quid enim non audet in hoſtem
Impuras vltura faces? ſuſpiria vibrat,
Immittit lacrymas, & verba precantia torquet:
Verba, quibus nullum tormentũ maius, Honeſtas
Si viuat, ſi pugnet, agat ſecura triumphi.
Verùm vbi nec precibus lacrymiſve repercutit vllis
Vim ſatis; armatumque pati iam neſcit inermis,
Nec quò reijciat flammas habet; ilicet ardet
Ipſa quoque igne nouo, præbetq; incẽdia cælum.
Tum ſtetit, & poſtquam primis aſſultibus exit
Viperei iuuenis; nutu imperioſa manuque
Rurſus anhelantem procul arcet:&, O age, dixit,
Quiſquis es, à victâ qui ſperas Virgine famam,
Teque

Teque adeò, ereptâ pro Virginitate, vocari
Fortem poſſe putas; ſi quid tua commoda curas,
Siſte, nec vlteriùs fortunam auerte procando:
Munera, ſi neſcis, pluſquam mortalia geſto,
Vni nota mihi; nec te nouiſſe pigebit:
His dono potiere meo, ſi tu modò caſtæ
Dona pudicitiæ mihi non violanda remittas.
Hæſit ad hæc iuuenis, cui rerum accenſa cupido
Non nihil extinxit ſceleratæ incendia flammæ:
Tum virgo primis felix ſucceſſibus, audi,
Quæ referam, dixit, magicæ miracula dextræ.
Illa ego, quam fragili cernis teneref cere vultu,
Non adſum, quã rere; oculis meliora negantur:
Et quota pars decorũ, velox hæc forma, meorum?
Femineos ne crede animos in pectore molli;
Neſcio quid formâ melius latet. Aemula cælo
Mens mihi, ſeſe alacri ſemper vertigine voluit,
Nec placidâ, quã ſexus habet, contenta quiete eſt.
Hoc quidquid pulchri, quod nunc tua lumina mulcet,
Vile bonum: vigor eſt muliebri in fronte virilis,
Cedit & aſpectæ mea cæca potentia formæ.
Noui ego quantum operum cantamina Theſſala vincant,
Quid magicæ valeant artes: mihi nota poteſtas
Herbarum: quidquid cultis innaſcitur hortis,
Quidquid amat ſiluas, aut circum littora creſcit,
Totum opis eſt noſtræ; nec me ſeges intima fallit,
Sed, quod habet vires, æternaque pondera vitæ,
Eſt mihi fecundo medicatum rore liquamen:
Quo ſemel infuſos cùm miles inungitur artus,
Maior Achille redit. Non ille horreſcat aperto

Ire per arma ſinu, vel inermi ſpicula tergo
Accipere, aut nudum caput obiectare ſagittis:
Nam necis ignarus, niſi quam ferat ipſe, tonabit
Intactus ferro, & Marti mortique timendus.
Nec longè fortuna tibi eſt; ſi fidus, vt artes
Experiare meas, non aſpernabere fœdus.
Hæc ego conficiam vitæ medicamina, certo
Saga miniſterio: quibus arua virentia præſtent
Materiem, mea colla fidem. Linar antè potenti
Vnguine; tu quantum valido librare lacerto
Æra ſoles, etiam maioribus vtere neruis,
Ceruicemque feri: neque enim mihi tutus ad ictum
Conniuebit honor; ſtabitque interrita virtus.
Ergo oculis metire tuis euenta, manuque;
Ne quod inexpertum, & ſimulati ignobile veri
Ludibrium credas, & vendita verba furori.
Tu pectus teſtare priùs, per ſi quid honeſti,
Si quid habet veri: da non violabile pignus
Antè mihi, dictiſque præi quod facta ſequantur:
Te fore qui numquam vſurpes intacta pudoris
Iura mei: tantùm hoc præſtes; mihi cetera curæ.
Sed caue periures animo; ſeruataque ſeruet
Vita fidem: quando pereunte pudore, facultas
Iam temerata perit; & non niſi Virgine dextrâ
Conficitur virtus ſitientibus inuia telis,
Inceſtamque manum ſubeunt obliuia mentis,
Et cadit ars animo, qui deſiit eſſe pudicus.
Quare age, & alterutro catus aut temerarius, eſto
Fortunæ faber ipſe tuæ; decerne quid optes,
Méne pudicitiâ, téne atrâ cæde carentem.
Hæc ait, & tacuit Virgo, non inſcia quantum
Placa-

Placarit turpes inhoneſto in milite flammas
Laudis inauditæ fiducia. Pronus in artem
Virginis, abiectâ ſpe virginitatis, honeſtum
Se gerit, aut ſimulat; modò turpis latro pudoris,
Quàm ſubitò cuſtos? iam friget anhela voluptas,
Iam ſe vota necant, & honor ſuccedit amori.
Nec mora; vel ſtricto iurat defendere ferro
Virginei candoris opes. Pia ſidera cæli
Teſtor, ait, ſtygioſque lacus, nec abutor inani
Voce; nec ingenuæ mens eſt mihi diſſona linguę.
Ergo verecundus vigeat, me vindice, poſthac,
Virgine te, tuus iſte pudor. Tu parce timori,
Obſes erit data ſæpè fides, & perfida numquam.
Tu quoque pollicitis maneas priùs: ipſa fidelem
Me facies. Quòd ſi quemquam periuria flectant,
Te ſequitur tua pœna; mihi funeſta nocentum
Numina deuoueo, meque ipſum vltricibus vmbris.
Hæc vbi dicta, manus pulchro pia ſaga labori
Admouet, & fraudis parat argumenta decoræ,
Quâ nullum fuerit verum formoſius vmquam.
Illa genu tenus vndantem ſubducit amictum,
Virgineos ſuccincta ſinus; nodoque coërcet
Confuſas ſine lege comas, habilique cothurno
Crura tegit, nudatque leui bombyce lacertos:
Tum tenuem dextrâ falcem, calathumq; ſiniſtrâ
Accipit, atque iter ingreditur pudibunda viatrix;
Qualis Taigeti iuga circuit, aut Erimanthi
Delia: quippe animo caſta vtraque, & vtraque vultu
Venatrix; niſi quod manibus iacit illa ſagittas,
Hæc oculis: homines hæc vulnerat, illa leones.

Iamque adeò, non vrbe procul, ſe ſaltibus infert
Enthea; quam paſſu gemino ſuus ambit Achates,
Infidus nimiâ vſque fide. Sed & illa ſequentem
Quamquam odit, non ore tamen, non voce fatetur;
Diſſimulatq; odia, & quas incoquit, occulit artes.
Solùm operi magno, nihil aſpernata teneri,
Imminet; hinc fruticum caules & ſemina vellit,
Hinc metit aſparagos, baccas legit inde caducas,
Inde capillitium fibrarumque agmina carpit,
Aut folia, aut foliis inſertos vndique neruos:
Interdum teneros natali è germine flores
Diuidit; ex ipſis interdum floribus vngues,
Expoſitóſve apices, aut compoſitos alabaſtros:
Nec tamen, vt ſeſe obiiciunt, olera omnia libat,
Sunt quæ lecta probet, quæque improbet: vtraque morſu,
Vel tenui attactu, vel odorum examine tentat:
Exornatque dolos, dùm vult operoſa videri.
Tam benè ſuccedunt ſimili mendacia vero;
Inculcatq; fidem ſtudiis mora, fraudibus ardor:
Vt miles iam vera putet, quæ ſperat, & eſſe
Vera velit; ſed cæcus Amor quàm credulus, idem eſt
Sortis adulator, votorumque aura ſuorum.
Iam virides herbæ in calathis, & concolor herbis
Spes magis, occiduasque dies procliuis ad oras
Euphraſiam officio defunctam ad mœnia portant
E ſiluis: ſat tuta ſuæ cantamina morti.
Præcinuit pudibundus olor, niueœque pudori
Proluſit, fidei ore, dolus: ſpectacula nocti

Vltima conueniunt, poſcitque Tragœdia plauſum.
Ecce autem tonitru mugit domus: aurea murmur
Lux ſequitur, nubesq; metum paritura dehiſcit.
Nubis ad amplexum fornacula gemmea prodit:
Cuius inæqualem teſtudo adamantina frontem
Vndique curuabat, roſtrataque vitrea dorſo
Plurima circùm inerant, foris expreſſura liquorẽ,
Quem vapor intus agit, lacrymataque gramina præbent.
Illam ſiderei iuuenes, vt Virginis artem
Credibilem portenta probent, è margine cæli
Detulerant, vbi ſudatrix Aurora diei
Stillat in irriguos liquidiſſima ſidera rores,
Et matutinos mortalibus exprimit imbres.
Obſtupuit viſu miles miracula numquam
Nota priùs: certè videt ipſa; videre ferentes
Non licet; atq; oculos, quibus eſt pupilla Cupido
Cæcus, ad æthereas quis neſcit hebeſcere formas?
At Virgo, cui multa animo prælucet honeſtas,
Haud ſibi diſſimiles cæli miratur Ephebos;
Et quanto vocum, tanto diſcrimine rerum,
Sæpè frui numen pro cælite, cælibe vultu.
Ergo poſtquam illis multam ſine voce ſalutem
Reddidit, accepitque, & vicinæ omina palmæ
Duxit ab aſpectu venientum, plena propinquo
Fine operum, cæli ſtudiis, & numine prono
Vtitur, & Superis præeuntibus ingerit herbas
Arte laboratas, & per cryſtalla liquandas.
Iamque vaporiferum pacatus Mulciber implet
Inflammatque vterum; iam per ſpiracula denſis
Fuſa canaliculis ſeſe vapor igneus vrget,
Inſinuatque

Inſinuatque tholo; iam vitra gementia ſudant
Vndique,iam folia illacrymant, guttiq; frequẽtes
Stillatas herbarum animas ſiphonibus edunt.
Hanc exſpiratam cyathis ex omnibus vndam
Vno confundit nimbo: neu ſola liqueſcat
Lympha nimis; puræ tenuata coagula ceræ
Miſcet, & infuſo collyria glutine denſat.
Tum liquidas veri guttas inſpergere gaudent
Aetherei ciues, vt ſpes rata Virginis, actum
Expleat, & veri fallatur imagine miles.
Intereà vigili ſudatum nocte liquorem
Euphraſia oſtentat iuueni,ſucceſſibus audax
Facta ſuis; En, inquit, aquæ vegetabilis humor,
Succus hic eſt lucis, liquor impenetrabilis armis,
Immortale veneficium, mora vulneris vnda.
Humanâ plus arte vides; mea ſola facultas
Aeternare dies, quibus ænea fata minantur:
Non opis alterius diffundere balſama vitæ.
Si te ſollicitum facit exitus, ipſa laborat
Si res mole ſuâ, nec credere vocibus audes;
En ego mox addam factorum pondera verbis.
Sume vadem fidei, quæ ſum medicaminis auctor:
In meme experiar quæ te miracula torquent
Ancipiti ſtudio; mea tuta pericula cautum
Te poterunt præſtare: fides exempla ſequetur.
Hæc ſimul effundit, ſpargitq; liquamine collum,
Ceruicémque linit, fera ſub iuga mortis ituram,
Si virtus mortale bonũ eſt. Tum, Stringe ſecurim,
Securamque feri, ſi quid tua robora poſſunt,
Subridens ait, ô teneri gladiator Amoris:
Excute ſi quod habes generoſo in pectore pondus,

Et

Et vires accende tuas: in brachia totus
Mars eat, & valido, quantum potes, vtere ferro:
Euentu diſces, quâ me poſſim arte tueri
Aduerſum tua tela; vno ſed acinacis ictu
Coniice, quàm carâ redimã mercede pudorem.
Dixit, & inflexâ paulùm ceruice pependit,
Incubuitq; genu, chalybem exceptura minantem.
Non illa ingenuos oculos ad terga retorſit,
Non pinxit pallore genas, ſuſpiria cælo
Nulla dedit, lacrymas nullas: ſecura cadendi,
Stat tamen, & mediâ quãuis in morte triumphat.
Tantáne femineos artus ſuſtentat honeſtas?
At ſi quid trepidat, ſolum timet ægra timorem
Militis, antiquo ne ſuffragetur amori,
Et reuocet temerè properatum à vulnere ferrum.
Illam admirantur Superi; ſtupet inſcia Virtus
Pectoris infracti robur: Prudentia vinci
Indolet, agnoſcitque Pudor ſe denique fortem.
Solus inexpertam miles cæcutit ad artem:
Quippe amat incautus: iam vellet vtroq; potiri
Munere: dumq; aliud certum videt, æſtuat anceps
Alterius ſtudio; ſimul abripit error vtrumque,
Et ſibi ſpem vitæ præcidit, Virgine cæsâ.
Iamque cruentandum gladiator ventilat enſem:
Iam feriat; ſed corde ſuo ſapientior, ictum
Suſtentat manus: ipſe manu cadit enſis: & illo
Ni ferro aſperior miles, ni ſurdior eſſet;
Fortè pepercisſet, cui ferrea Parca pepercit.
Ille redorditur ſcelus; atque hortatus inertem
Voce manum, librat momento & vibrat eodem
Securus chalybem. Ruit illætabile vulnus
In præceps, niuibuſque piæ ſe Virginis abdit,

Et ſociâ caſtum caput à ceruice recidit.
I nunc, & verè cæcum, tu cæcus, Amorem
Carnificemq; nega, dum contẽplaris Amantem.
Emicat auulſum caput, & ter viuida cælo
Lumina ſuſtollit, ter deprimit, & ter IESVM
Voce ciet ſponſum. Vſque adeò ſpem funere ſancit,
Conſeruatq; fidem morti. Neque pallet acerbo
Vulnere frontis honor: nimirum viuit ademptâ
Virgine Virginitas; & adhuc poſt fata colori eſt
Ipſe ſuo Pudor, in nigrâ vel cæde ſuperſtes.
Sarcina membrorum grauis, & ſine vertice moles
Facta ſibi pondus, ſed non ſine nomine, truncus
Voluitur: it cæſo de corpore candida lactis
Vnda, Pudicitiæ ſanguis, non vberis humor.
Fortè liquor ſaltu ſcelerata ad lumina lapſus
Militis, aſpergitque oculos, aperitque: nec illum
Iam ſua damna latent. Puncto riget & dolet vno
Admiſiſſe nefas, ſpemque amiſiſſe iacentem
In manibus, dum vita ſibi, dum vota negantur.
Tum Superi Proceres animam felicibus vſam
Fraudibus ad cæli tentoria lucida portant
Securam necis atque ſui, niuibusque reponunt
In mediis, quò nulla poteſt pertingere tabes.
At tu materies mihi carminis ampla, Virago
Nobilis, intactæ generoſa venefica cædis,
Arte ſagax, virtute ſagacior Heroïna;
Non medicaminibus deducis ab æthere lunam,
Saga potens famulis aſtris, non vilibus herbis:
Sed temet lunam ipſa ſuper vehis; & pede calcas
Sidera, ſtillatoque cies è numine vitam.
Aeternos iam viue dies: obliuia poſthac

Ne

Ne metue in gremio famæ, tua facta loquentis:
Nec metue in gremio vitæ, diſcrimina mortis;
Aut niuis in regno, iacturam Virginis auræ.
Sat tua, nec neſcis, in tuto vota locantur;
Nec tibi nempe pudor, nec tu rapiere pudori.

S. IGNATIVS LOYOLA IN ARCE POMPELONENSI DEFENDENDA TORMENTO ICTVS: VNDE ILLI DE INFERNO HOSTE VICTORIA.

Epinicium à Ioanne Turpino Sem. Rom. Clerico dictum.

CARMEN VI.

QVid tibi cum rigidis, Ignati belliger, armis?
Quis tam durus amor, quæ tanta licētia fati
Rurſus agit? quid te ſequeris, fera bella ſequentē?
Inconceſſa petis: non hos tibi tempus in vſus
Labitur: in mores alios, alia arma, terendum eſt;
Sat Marti mortique datum: deſueſce vocari
Miles, & auſpiciis melioribus indue nomen.
Quidquid id eſt (Cælū iubet) obliuiſcere bellum.
Hæc ego magnanimi reuocabo exordia facti,
Si mea vox inter lituoſque tubaſque ſonantes

Audiri

Audiri poterit; belliq́ue immerſa tumultu,
Proniùs ad veſtras penetrabilis accidet aures.
Venerat Hiſpanas Gallorum exercitus oras,
Quâ Pyrenæas generoſa Nauarra ſub arces
Tollitur in Superos, atq; vrbibus inclyta centum
Strymoniam campis fugientibus errat in Arcton.
Iamq́ue adeò ingentis caput inuiolabile regni
Pomplona incluſos Autrigonas arce tuetur:
Iam circùm vndantes defenſa ad mœnia Gallos
Abſterrent, propiusq́ue vetant inuadere Martem
Vaſcones, & belli furor increbreſcit vtrimque.
Strenuus ante alios Ignatius ardet in armis,
Conſilio dextrâque potens, in vtrumque paratus,
Aut Ductor dare iura, aut iura capeſſere miles.
Non tulit hanc ſpeciem, fatorum neſcius Ales,
Cui Loyoleæ cecidit cuſtodia mentis.
Protinus allapſu ſeſe inter ſidera condit,
Et venit ætherei Diuina ante ora Tonantis,
Multa precaturus: placidæ tum frontis honeſtum
Deponit iubar; & venerandum Numen adorat,
Dulciaque appoſitis aſpergit vota querelis.
O, qui ſidereo complecteris omnia vultu,
Magne Parens, Superùmque hominumq́ue æterna poteſtas;
Aſpicis, vt primis Ignatius errat ab annis;
Me fugit, & votis contraria vota laceſſit?
Tu mihi, ſidereas venientem in luminis auras
Hanc animã cùm fortè dares, meliore tuendam
Auſpicio, quoties ſortis præſaga futuræ
Verba renarrabas, quæ pectore condita ſeruo:
Hunc fore, qui ſummo virtutẽ extẽdat Olympo,
Prædatorem Erebi regnatoremq́ue profundi,
Qui

Qui ſuperam multis cultoribus augeat Aulam?
En,quò priſca mihi, quò fata nouiſſima vergũt?
Vt primùm patiensque ſui patiensque laborum
Vita tulit, durâ tunc durius ægide pectus
Cingere, tunc lateri rigidum ſuſpendere ferrum,
Et moliri arcus, & ſpicula fundere cornu;
Et quatere exploſis tormenta tonantia flammis.
Creuit amor belli, dum lubrica creſceret ætas:
Iamque ter octonas, viuendi ab origine, meſſes
Cenſuit, & cœptis ingentibus arma retractat,
Et terit indigno vitæ fila aurea ferro.
Semper ego affixus lateri, cui barbarus enſis
Semper adeſt?quem das finẽ, Pater optime,cædis?
Spero equidẽ, nec vana fidem ſententia torquet;
Sed facis audacem,dum me facis ipſe precantem:
Hunc mihi,quicumq; eſt,animo tu ſuggeris ignẽ:
Agnoſco ſanctæ veſtigia proxima flammæ;
Quæ ſeſe inſinuat,vocemque in verba gubernat.
Incute vim, penituſque ferocia pectora verſa:
Iniice tranquillos animos, allabere cordi,
Aſpiraturâ, genitabile numen, in aurâ:
Pelle ſitim fumantis auaritiemque cruoris:
In ſe belligeras conuertere nouerit artes;
Vincere ſe, quæ reſtat adhuc victoria, diſcat.
Vix ea; cùm,vultu iuſtiſſima vota ſerenans,
Annuit Omnipotens;&, Deſine,dixit,amantum,
Fide,querelarum: luctantem immota ſequuntur
Fata virum,iam iamq; pedem pede preſſiùs vrgẽt.
Venit ſumma dies, & non reuocabile tempus,
Quod meliora ferat;iam proxima meta labori eſt,
Bellorum ſatis, aſperſique cruoris abundè:
Dediſcat fera bella, pias exerceat iras.

Vade,

Vade, age, quà tollit fatalia mœnia turris,
Et ſeruat Superis armamentaria Cælum:
Hîc fortunatum, ſed ineuitabile fulmen
Selige, quod iacias; detrectantemque clientem
Fata, feri: pro cæde ferent ea tela ſalutem.
Dixit: at hæc animo mandata reciprocat Ales,
Et mouet aligeros ad grandia munera greſſus.
Eſt, in ſecretâ Cæli regione latentis,
Nixa ſuper duris moles adamantina gemmis,
Parietibuſque cauam ſurgentibus explicat aulam.
Has Cæli ſedes, loca feta ferocibus armis,
Vltrices animæ, triſtiſque pediſſequa culpæ
Pœna ſubit, quoties vltorem crimina poſcunt:
Illic, vt perhibent, affixa trabalibus vncis
Inſtrumenta necis ſurgunt: it aheneus ordo
Armorum, circumque oram teſtudinis errat.
Hîc exercituum terror, qui vulneris ictu
Vno eodéque, virûm mille agmina diſſipat, enſis.
Hîc clypei immanis fatalia pondera pendent,
Scutaque perpetuas vmbone tegentia terras,
Fulminibus factura moram: nec fulmina deſunt,
Quæ freta, quæ terras, quæ fundamẽta domorum
Peruellunt, quatiuntque imis è ſedibus orbem.
Hîc ſæuæ bolides, flammæque tricuſpidis ignes;
Qui, cùm fortè comã pandunt, & in aëra purgãt,
Accendunt toties minitantem dira Cometen.
Hæc belli domus, & telorum dira ſupellex
Accipit alatum Iuuenem: ſed copia fingit
Incertum, quid fata velint, quo vulnere pectus
Loyolæ feriat, quæ tela ſalubriùs optet.
At pendentẽ animis, oculosq; ad cũcta mouentẽ,
Allicit innocuos fabricatum fulmen in vſus;

Fulmen,

Fulmen, quod dextro vibratũ numine quondam,
Saulus inexhauſtæ ſpirans necis atque minarum
Senſit apud celsâ creſcentem mole Damaſcum,
Cùm,volucri deiectus equo, dediſcere noctem
Cœpit, & irato metiri è fulgure lucem.
Hoc ſibi tum multis è millibus Aliger vnum
Secernit telum: ſed puro nectaris imbre
Aſpergit furibundum, & miſtas temperat iras;
Neu grauiùs feriant, in cote retundit Amoris.
Vſque adeò, Ignati, Superos tua vulnera tangũt,
Vt vel ſæua tibi manſueſcere fulmina poſſint.
Intereà rigidum Pomplonæ ad mœnia Martem
Intulerat Gallus: ſed Vaſcones arma repellunt,
Et procul ex altis reſponſant turribus hoſti.
Foxius, armato qui duxerat agmine Gallos
Finibus è patriis, & milite maior & auſis,
Moliri iubet, aſcenſuque inuadere muros,
Gallicaque Hiſpanis infigere Lilia Caſtris.
Nec mora, iam muris ſcalæ pendentibus hærent,
Iam gradibus nituntur, inobſeruatus in arcem
Quà patet introitus: primo fortuna labori
Quæ fauet, illa nocet; paucorum vt cognita virtus,
Aſcenſuque aditus facili iam viſus ad hoſtem eſt,
Idem omnes inuitat honos, idem excitat ardor.
Certatim inſiliunt quà ſemita ducit in vrbem,
Arripiuntq; gradus; hos mordicus ore tuentur,
Exercentque manus, & ſe ſtatione viciſſim
Proturbãt, ſuperantque, repercutiuntq;, ruuntq;,
Obnixique, humeris ſuper & ceruice ſuorum,
Pectus agunt, tolluntq; caput, calcantque relictos.
Et iam turmatim faſtigia ſumma tenebant,
Cùm laudis priuatus amor communia turbat
Commoda,

Commoda, communis ſimul abripit impetus
omnes;
Omnes mole ſuâ & caſu voluuntur eodem.
Quo caſu aſſurgunt animi; pudor iraque vires
Exſtimulant: vrbem ſubitâ obſidione coronant:
Nequa vacet bello facies, iam prælia circùm
Mille ferunt diuerſa locis: pars mœnia tentat
Scandere, & vlciſci veterem virtute ruinam;
Pars attollit humo denſæ teſtudinis arcem
Obiectu clypei & fortis curuamine dorſi;
Pars ignes iaculatur, & ingenioſa furentum
Argumenta facum: celeri volat actus habenâ
Malleolus, tortiſque vibrata phalarica neruis;
Et ſecum, quocumque volant, incendia portant.
Pars agitat procul, at propiora pericula mittit;
Maioreſque tubos, & ahena tonitrua grandi
Explodenda globo ſignatos librat ad ictus.
Vt primùm iniectos ſenſit pila miſſilis ignes,
Quò iaciebatur venit improuiſa, priuſquam
Admoneant fragor & feralis fulgura lucis.
Ilicet ingenti murorum clade pateſcit
Vrbs, hoſtemq; vocat: iamq; indefenſa parabat
Colla iugo, ſeſeque in fœdera miles agebat,
Cùm ſubitò facibus miſtâque Ignatius irâ
Feruet, inextinctamq; gerens in fronte fauillam,
Per medios ruit: &, Quò vos timor abripit, in-
quit,
O viles animæ, & vænalia pectora paruo?
Siſtite, ſi quis amor patriæ, vel ſi qua parentum
Gratia pectus habet. Quà nunc contenditis, itur
Ad ferale iugum, deteſtandamque cataſtam.
Nec pudet, ingenuũ mala ducere ſub iuga collũ?
Vſque

Vſque adeóne mori dolor eſt, vt vincula morti
Prætulerim? peream, modò mors liberrima vitam
Finiat, & patria antè cadat, quàm ſeruiat hoſti.
Ite, quibus factum magis eſt ad verbera dorſum
(Et video, & doleo) quàm pulchra ad vulnera pectus;
Quos victoris heri iuuat exitiale tributum.
Viuite vos, quibus eſt vitæ tam fœda cupido:
Solus ego, ſi me ſolum fortuna pudori
Subtrahet, obiectu capitis certamina poſco.
Quòd ſi fortè animam generosâ in cæde relinquam;
Vos mea degeneres mors arguet: ipſe decoro
Sanguine laudabor maculā extinxiſſe meorum.
Dixit, & in medium ſeſe rapit arduus hoſtem.
Iamque propinquantem, murorumque alta prementem
Sepimenta manu, dorſo connixus & armis
Reiicit, inque humeros incuruat ab aggere turris.
Nec frænare poteſt propiorē in margine curſum,
Quem ſemel arripuit: propriâ iam mole ruebat
Ponè ſecuturus, ſeque inſuper ipſe daturus;
Cùm ſubitò accurrit: fugitiuaque terga reportat
In Martem miles, reſupinatumque coërcet
Loyolam à lapſu: dein morte ferocior ipsâ,
Deſperat, ſperatq;: ſed arma miniſtrat vtrumque;
Arma dolor, pudor arma facit: ſtat longa tueri
Mœnia, tormentiſque arcere tonantibus hoſtem;
Aut cadere, & pulchram petere inter vulnera mortem.
Ecce autem, aduerſo quà propugnacula cliuo
Suſtulerat Gallus, baſiliſcum triſtè minantem

Ære cauo, & ferri pondus fatale vomentem
Hoſtis ad exitium, ſuſpendit curua rotarum
Libramenta ſuper; dein pulueris ingerit ollas
Sulphurei, duplicatque, & nitra nigrantia denſat:
Æratumque globum, quantum capit ore, tre-
mendo
Machina, ſubmittit, certâque attemperat arte.
Hic oculis metitur, & altè conſulit ictum,
Sortitusque locum cædi, funalia longè
Nutrimenta facis tereti protendit in haſtâ,
Quà colubri ærato patuêre foramina dorſo.
Nec mora, ſubſiliunt obturamenta, propinquo
Igne laceſſita, horrendum dant æra fragorem,
Et feriunt aures, feriunt quoq; lumina flammæ:
Sed, ferit exploſo quæ turbine, ferrea grando
Emicat; illa volans hoſtilia verbere pulſat
Mœnia, murorumque ſupremâ è parte reuulſum
Longiùs eiectat valido luctamine ſaxum.
Hoc tibi nunc venit, Ignati, ſuraſque rigenti
Ære cothurnatas, & crura latentia rumpit,
Proſtratumq; affligit humo, ſpemque abiicit vnà
Pugnantum ſociorum, & tecum vulnerat omnes.
Extemplò poſitis turbati Vaſcones armis
Deſeruêre aditus: animam cecidiſſe putares
Militiæ, ſic friget iners exercitus: hoſtem
Iam ſponte accipiũt, iam propugnacula pandunt,
Iam leges & iura volunt, iam Gallica turres
Signa gerunt, ventoque volantia Lilia plaudunt.
Vidit anhelantem miſerâ ſub cæde clientem
Aliger, æthereâ qui nuper ab arce vibrandum
Attulerat fulmen; tunc deniquè tempora nactus
Opportuna ſibi, dextro molimine ferrum

Liberat: illud abit, Loyolæque aurea portat
Vulnera, tranſadigitque latus cratemque ſiniſtri
Pectoris, infixumq; profundo in corde quieſcit.
Surge age: poſterius medicinam crede prioris
Vulneris, Ignati; quid tela ferocia tractas?
Surge age: non cædem, non vulnus amabile ſentis?
Iam tibi, crede, alius pugnandi naſcitur ordo.
Non hominũ te bella manent, ſed bella Deorum;
Sed ſcelerum, Stygijq; manent certamina Martis.
Aſpicis, Oceanus quantum complectitur orbem?
Illuc immittes iuratam ad bella cohortem,
Fœda profanatis orbantem altaria ſacris,
Impiaque immeritis arcentem numina templis.
Quid referam, Duce te, Stygiis claudenda cauernis
Sæua tyrannorum capita, indocileſque colubros
Orbe procul toto, Phlegethontis in antra fugandos?
Ante alias tibi Roma vacat penetrabilis oras;
Quam tu ſæpè vocabis, & ipſe vocaberis illi,
Poſtquam ſidereo tranſſcribes nomina regno.
Scilicet hinc palmâ & ſpoliis Acherontis onuſtus
Ad Cæli referes Capitolia celſa triumphum:
Romanoſque animos, captiuaque vota Quiritum
Ad currum duces, regnantemque vrbibus Vrbem
Nobilis aurigam tibi nanciſcere curulis.
Finge, age, te geminum Saulo, moreſq; tonantes
Indue, quandoquidem tonitru cecidiſtis eodem.
I Saulo comes, & generoſo munere compar,
I, terris infer, vas nobile, nomen IESV.

VIRGINIS NASCENTIS AD VITAM GENETHLIACON

A. N. N. Sem. Rom. Conu. dictum.

CARMEN VII.

VEnerat in lucem Diui lux filia Solis,
Mox Solem paritura ſuum; Natique, Patriſque
Iam tum plena, pio dotarat lumine terras;
Cùm manus Aligerûm micat obſequioſa, cadẽtis
In morem nimbi, Dominam nutricis egentem
Exceptura ſinu; donec maturior ætas
Exuat imbelles annos, ſat conſcia vitæ.
Dux Procerum Gabriel; qui mox ad Virginis ædem
Maius opus moueat, Diuinæ nuntius Aulæ.
Ergo agit, & tardos velocior increpat Euros
Menſus iter Gabriel, quà viuo in fonte Voluptas
Naſcitur, irriguo dare nomen idonea campo.
Eſt locus, Eoos vbi ſol propè deſpicit Indos,
Trans marium terræque vias, & limina mundi,
Trans Libyæ ſidus, curuantem brachia Cancrum;
Hîc fortunatæ latis in vallibus Heden
Aſſurgit regio, Cæli latus inter vtrumque,
Nec niuium patiens, nec inertibus horrida flãmis.
In medio Euphrates admiſto Tigride ſurgit,
Nilusque & Ganges; vbi quattuor vna fluentis

Vena tumens, vno ſe nomine voluit & alueo;
Donec in abſceſſu ruris, totidem oſtia pandit,
Quot miſtis creſcebat aquis: tum redditus amnis
Quiſque ſibi,refugit,propriasq; recolligit vndas.
Hæc inter nemora, & viuacis ſæcula veris,
Poſtquam primæui ſcelus expendêre Parentes,
Anguis ob inuidiam pulſi fatalibus oris,
Attulit artificem locuples Sapientia mentem:
Quâque manu ſtabiles librauit pondere terras,
Suſpenditque polis Cælum, fabricauit eâdem
Venturæ cunas Dominæ; puerile tributum
Colludentis adhuc,ſua per cunabula, mundi.
Nam, quà floriferi medium cor præſidet horti,
Surgit, in inuidiam Cæli, genitabile germen;
Quod cùm felici Deus ipſe locaret in aruo,
Tu mea, dixit, eris, Vitæque vocaberis Arbor.
Ergo, Regali dignas vt Virgine cunas
Fingeret, artificique pares Diuina Creatrix;
Hinc ſibi materiem factis ingentibus æquam,
Exemplum ex ſeſe petiit; ne longior ætas
Vincat opus, ſeroſque intactum ſentiat annos:
Quin etiam inſculpſit docti miracula cæli,
Atque habili ornatu pretium rude roboris auxit.
Mole ſuper, vario currunt emblemata textu,
Argumentum ingens, & inenarrabilis artem
Cælatura refert, ſolito maiora parantem.
Illic Iſacidum, Vates non inſcia rerum,
Incîdit ſobolem, totamque ex ordine gentem,
Quotquot Idumæos traxerunt ſanguine Reges:
Ante alios,teneram Ieſſeâ è ſtirpe Puellam
Attollentem animos, quantum demittit ocellos.
Vixdum purpureas egreſſam in luminis auras,

Illam docta manus, vero ſic veriùs ipſo
Expreſſit, lignoque exſtantia reddidit ora,
Vt vagire putes truncum; ſimilisque ſonanti
Vox oculos fallat, ſi cautas falleret aures.
Nec procul hinc eadem traductis firmior annis,
Templa colit, iamque ad ſacram prece ſupplicat
aram;
Vt muto credas in robore ſemina mentis,
Vota nec arboreo, ſed vero è pectore naſci.
Parte aliâ niueo per opertos vellere campos,
Facta parens, antrũ & pendentibus horrida tophis
Saxa colit, ſtratumq; ſeuero in gramine Natum
(Heu pietas!) fouet, & lino ſub paupere condit.
Vidiſſes proprio iumenta carentia ſenſu
Hîc gerere humanum: & quamquam bis neſcia
flecti,
Quòd fera ſunt, & ſunt quoque lignea; non tamen vrget
Aut ligni rigor, aut genius feritatis abhorret
Obſequio tantum, quin æſtu cordis anhelo
Reſtaurent Puerũ per inhoſpita teſqua iacentem,
Et Cæli vitam foueant ſpiramine vitæ:
Tam benè ſubripiunt vero mendacia famam.
Hinc è quadrifidæ funeſto robore quercus
Delicias pendere ſuas videt anxia Mater:
Et pendet ſimul & pallet tam proxima vero,
Sic riget attonitæ ſimilis, ſic arida torpet,
Vt dubites, an ſupremum non paſſa dolorem,
Illo induruerit trunco; truncúſne viciſſim,
Vt meliùs Domini miſeretur funera, viuat.
Deniq; quidquid id eſt, niſi Virgo ſpirat & ardet,
Non eſt materiæ, mihi credite, culpa, ſed artis.
Illic

Illic è terris redeuntem in ſidera, quinos
Geſtantem ſoles,& amicâ in nube vehentem
Proſpicit, & Nato comes ire per aëra vellet.
Parte aliâ comes it, ſubuecta ſequacibus Euris,
Dilectoque innixa ſuo, per mille volantum
Agmina Cælituum : toto ruit obuia Cælo
Turba miniſtrantũ, Dominamq́; in ſede locatam
Excipit, & ſacro certatim ſtemmate cingit.
Hoc olim in cunis Sapientia nobile rerum
Incîdit monimentum, æui præſaga futuri:
Atque opere in tanto placuit ſibi nobilis auctor,
Seque excuſſit agens, atque arte laceſſiit artem;
Vt ſimilis vero non mentiretur imago,
Quæque inciſa notat, quondam ventura doceret.
At manus Aligerûm, ſupremo vt limite mundi
Attigit Euphraten,& vere tepentia regna;
Excipit artifices, cæleſtia munera, cunas,
Metiturque viam, quà, colles inter Idume,
Palmiferos iactat vicina ad ſidera fetus.
Hîc noua progenies Cælo delapſa ſupremo
Hauſerat æthereas Regali è ſemine luces.
Materno tum fortè ſinu vix orta ſedebat
Pupula, deliciæ Matris. Quantũ inſtar in illâ eſt,
Qui lepor, & facili veniens quæ gratia riuo!
Nil gerit humanum, mortali lumine maior
Neſcio quid præter ſolitum cæleſte minatur:
Si qua homines inter Dea naſcitur, ô Dea certè!
Scintillant oculi, tenuis duo ſidera vultus,
Frons habet imperiũ, rutilat pro crinibus aurum,
Pro teneris ſpirant geminata corallia labris,
Floridulo nitet ore color, miſtimque reſultat
Parthenice velut alba roſas, velut aureus orbis

Cingit ebur, candorque reciprocat arte ruborem.
Dixeris, haud aliâ cæleſtem degere vitam
Sede Pudicitiam, Superis cùm labitur oris,
Et colit humanos, Cælo tamen æqua, receſſus.
Intereà Dominam famulatrix turba ſalutat,
Miraturque Auctoris opus, nil tale creantis,
Poſtquam res olim confuſo exemit acervo.
Ergo ſecuturas operoſa in munera dextras
Expedit, exiguumque inuoluit corpus amictu,
Quem diuina Parens naſcentum ab origine rerum
Neuerat, & magnâ telam diſtinxerat arte.
Illic ſidereas acies, duodenaque ſigna
Circumſcripſit acu: creſcentem in cornua lunam
Finxit in argento, viridi ſubtemine terras
Induit, & ſuperos adamante coërcuit orbes.
Vidiſſes patrio turmatim cedere Cælo
Deſertorem aulæ, comitumque ad terga ſequentum
Mille globos, turpi ſqualentia monſtra veterno.
Nec procul, æthereis meliorum Ductor in armis
Inſequitur victos, oculiſque ardentibus irâ
Ventilat elatum ſemper ſine vulnere ferrum.
Credas, æthereo pugnam increbreſcere campo,
Partitaſque in bella acies, tela obuia telis,
Cedenteſque loco tenues ſine corpore vitas,
Et cadere, & factis æquas perſoluere pœnas.
Vſque adeò exſultat mentito in ſtamine verum.
At chorus in reditu victor pia colla Tonanti
Subiicit, oſtentatq; fidem, & dicat omina palmæ.
Intereà tenues Virguncula prodit in auras
Parte aliâ telæ: leuis huc exercitus alas
Vertit

Vertit adoranti ſimilis, Dominamque ſalutat
Inſtauraturam, quas ſtrauerat ipſe, ruinas.
Hoc igitur velo, zonâque plicatilis auri,
Virginis innocuæ teneros circumligat artus
Obſequioſa manus Superûm; leuis ambit amictus
Viuentes candoris opes, ceu ſignifer ordo
Aſtrorum incingit, cæleſtis faſcia, Cælum.
Iam cunas adhibet Gabriel, cælataque cunis
Argumenta operum, fatalibus edita terris:
Hic Diuam locat, & propria inter facta reponit;
Vt neque iam deſit muto ſua vita labori.
Deniq; candidulis ſuper iniicit inuida membris
Lintea. me miſerum! mea vix Aurora videri
Cœperat, atque oculis primo velut occidit ortu.
Ne claudat ſaltem illa faces, ſi pectora condit;
Neu pereat mihi tota ſimul: ſed & ora quieti
Componit Gabriel, ſomnumq; imitat, amantem
Anteuenire preces, ac ſponte ad lumina lapſum.
En venit, en geminas operit lux aurea gemmas:
Nunc verè indormit Cæli concentus & ardor:
Nunc conſanguineus leti ſopor, aſſecla vitæ eſt.
Audis, vt tacito ſpiratur anhelitus ore?
Hîc certè ſonitus, tenuiſque hîc ſibilus auræ
Numen habet: iam Muſa leues compeſce querelas;
Sic monet alatus Iuuenum chorus. ô age, cantum
Comprime, ne turbet vox importuna ſoporem.

VIRGINIS AB ANGELO SALVTATÆ EPITHALAMIVM

A N. N. Acad. Parth. dictum.

CARMEN VIII.

VEſper adeſt, nec ſole minor. Iam deſerit arcem
Lucis inocciduæ: iam diuitis vmbra diei
Veſper inardeſcit; ſuperi conſurgite Ciues:
Linquere iam Cælum, iam diuinos Hymenæos
Dicere tempus erit. vos, ô quibus aurea fandi
Copia, ſidereas in carmina ſoluite voces.
Iam Gabriel præuertit iter, Nuptamque ſalutat
Caſtus Hymen, Diuinus Hymen, cui pronubus ardor
Lege maritali ſuccenditur, ardor amantum.
Mox aderit Sponſus, cùm primùm Nupta loquenti
Annuerit Iuueni, nec coniugiale pudico
Flammeolum vultu, tedamq; in virgine dextrâ
Reſpuerit, Sponſum verbo confeſſa Tonantem.
Quare agite, ô Superi, dum tempeſtiuus inertem
Segnitiem claro caſtigat noctifer igne;
Ducite vocales in carmina, ducite neruos.
Audior: immenſum video diſcedere Cælum,
Et medium valuis bipatentibus æthera findi,
Palanteſque errare globos, operique futuro
Suc-

Succinctas acies cæleſtem ducere pompam.
Sponſus adeſt: viden, vt perniciter exiluêre
Siderei Proceres, auroque & diuite luxu
Collucent, ſertiſque comas ardentibus aptant?
Iam famulatrices læta in connubia dextras
Expediunt: iam feruet opus: ſtudioſa vagantur
Agmina Cælituum: nullo duce libera feruent:
Hortator ſibi quiſque operum; ſe quiſque gubernat:
Nec patiens it legis Amor; ſtudiumque placendi
Non eget imperiis, niſi quæ ferat æqua voluptas.
Sic Pubes incerta volat, ſed certa laborum:
Nec temerè confuſa volat; ſine lege reſultat
Lex operum tantorum, atq; expers ordinis ordo.
Vſque adeò in mediis erroribus, haud tamen errant.
Qualis apes labor & generandi nectaris ardor
Exercet, cùm vere nouo per olentia prata
Stillatum violis ſubeunt onus, aut vbi denſæ
Diſponunt flauas texto ſub vimine cellas;
Aureus haud aliter ſupremo exercitus aruo
Itque reditque frequens, Dominoque laborat amanti.
Aliger intereà, quem mundi cura fatigat,
Aeternoſque rotare globos, molemq; ſequacem,
Dat ſignum Cælo: Coniux venit, ô age Pubes,
Excipe, ſi quis amor, venientem. Haud plura locuto,
Annuit, & famulas comitum manus expedit alas.
Ecce autem vehitur per candida compita Solis
Rex Superûm, thalamoque exſurgit coniugus aureo.

Quantus in auguſto lepor, & quæ gratia vultu!
Qui labris afflatur honos! quæ pugna colorum,
Aut potiùs quàm certa animat concordia frontem!
Qui ſóles oculorum ardent! vos ô mihi ſoles
Eſte boni; dum tanta audax incendia luſtro.
Dicite vós veſtraſque faces, & luce diſertâ
(Noſtis enim meliùs) cæleſtem pingite formam.
Illum currus agit, qualem nec Romula tellus
Orbe triumphato ſurgentem in mœnia vidit:
Nec talem primo de carcere lucis Eoæ
Senſit in Occiduas Cælum decurrere metas.
Scilicet, vt famâ eſt, quoties immobile Numen
E ſuperis molitur iter, terraſque reuiſit;
Tranquillæ ventorum animæ, quibus aurea vultu
Temperies, adſunt, famulataque colla Tonanti
Supponunt faciles, nec agentia fræna recuſant.
Nunc quoq; cõueniunt ſemoto ab limine mundi
Aligeræ certatim auræ: volat Eurus ab Ortu
Mitis, ab Occaſu Zephyrus; Mareotida linquit
Auſter, & Odryſiam Boreas placidiſſimus Arcton,
Omnes clementes animæ, Zephyritides omnes.
Nam neque natiuus vultum fragor, aut furor alas
Aſperat, aut cogunt equitantem in nubibus imbrem.
Ipſi, quid ſit Amor, venti turba aſpera diſcunt.
Nec mora: cõpoſitas placido ſub pondere pennas
Subiiciunt, iidem currus, iidemque iugales;
Aequâ fronte iugum rapiunt, & paſſibus æquis;
Non vſquam ignari, tantum hoc ſibi munere plaudunt,
Inſideat quantus collo Deus. Hos Amor altâ

Sede gubernator regit, & diſpenſat habenas:
Non ille informis, cæcoque exemptus aceruo,
Idem cæcus Amor; chaos indigeſta propago.
Eſt Amor humani cordis habitator, & altor,
Diuini ſoboles, genus omnipotentis Amoris,
Ipſe propè omnipotens,& vena ſimillima fonti.
Quem Deus in primâ naſcentis origine mundi
Inter inæquales Aulæ cæleſtis Ephebos
Omnibus antetulit: cumque inſpiraſſet Adamo
Viua rudimenta, & teneri ſpiracula ſenſus,
Hunc Superûm atque hominum commercia cara tuentem
Venturo indulſit generi, generiſque Parenti,
Igne fouentem animos,& pectora luce beantem.
Ille oculatus Amor, currus auriga volantis,
Fræna regit, ventoſque docet parere lupatis.
At ſuperi Proceres, facto velut agmine, currum
Obnixi ſtipant, Dominumq; ſequuntur euntem.
Pars dociles animat lituos, neruoſque loquaces
Prouocat ad cantus: eſt qui vocale canoro
Tangit ebur plectro, digitiſque volantibus errat
Auratæ per colla lyræ: pars æthere ſummo
Penſilis ad numerum choreas ciet,& pede fidens
Mobile corpus agit; nunc ſeſe verſat in orbem,
Turbinis intorti celeres imitata rotatus,
Nunc placido motu, placidiſſimâ obambulat arte,
Intexitque vias, curſuque retexit eodem,
Et labyrintheis erroribus aëra ſignat:
Atque aliquis tremulos modulatus corpore ſaltus,
Mille vices iterat; iacit exſultantia membra
In ſublime, teritque pedem pede, crura ſupinus

Implicat in ſeſe, mox dum redit explicat; idem
Et ſalit & reſilit, corpus vibrat & rotat idem.
Quis neget alatum? quamquam modò ſubdidit
alas
Ingenioſus Amor pedibus, quas Dædala quõdam
Remigio volucres humeris natura locarat.
Sed nullũ eſt inter ſuperi ornamenta Hymenæi
Nobilius, quàm pulſa ſonantibus organa neruis,
Cymbalaque erectis impunè ferocia clauis;
Vnde vocamen habent: mellis facunda canori
Arca, cupreſſeti cæleſtis filia princeps,
Artificeſque experta manus; cui plurima dorſo
Chorda ſuper: capita hinc adnexa fidelibus anſis,
Hinc data verticulis circùm; vocalis vt auri
Stamina laxari, tendique in conſona poſſint.
Neu magas, exteriuſque ſolum compactilis aluei,
Alliſu fidium ſonituras enecet auras,
Muſica ponticulus ſuſtentat verbera tergo.
Sculptilis in medio vernat roſa, nobile Cæli
Immortalis opus, ad viuum inciſa minutis
Vulneribus, proprijſque in florem animata ruinis,
Spiramentum vteri reſonabilis; vnde receptas
Intima clauſtra repercutiant cum fœnore voces.
Sub fidibus totidem patulæ velut ora cupreſſus.
Hinc multæ, quales murorum ſumma coronant,
Pinnulæ agunt ſeſe; quibus inſita lingula roſtrum
Inſpicata leui calamo, ſed conſcia flecti,
Cedereque ad reditum: ne poſtquam chorda ſo-
norem
Pulſa dedit, ligulæ breuis irreuocabile plectrum
Suſpendat, ſimilemque recumbere nolit ad vſum.
Quippe manubriolis ad frontem exſtantibus actæ
Teſſe-

Teſſerulæ, numeroſa canicula, dente loquaci
Inſiliunt, mordentque fides; quo muſica morſu
Inſtrumenta gemunt, gemituſque melodia cæli eſt.
Intereà Organicus, cui mellea machina curæ,
Quandoquidẽ æriſonas in mutua fœdera chordas
Explorare decet, paxillos conſulit aureos
Malleolo, fidiumque fidem tentamine poſcit.
Mox, vbi concordis ſuadet fiducia cantus,
Mobilibus digitis in eburna manubria ſurgit,
Et premit, & reprimit: grauior modò dextra tenet ſe
Vnico in accentu, tremulóve choreumate eoſdem
Inſiſtit numeros; leuior dum læua vagatur,
Et circum ſtabilem minuit ludibria plauſum.
Emicat interdum manus vtraque, ſeque viciſſim
Remigio volucrum digitorum arcetq; vocatque,
Et præit & ſequitur; puncto fugit & fugat vno.
Vſque adeò fallax & inobſeruabilis errat,
Tamque alacri genio volat, vt conſiſtere credas,
Nec de motu oculus, ſed callida iudicet auris.
Nam, dum infrà manus vrget opus, impoſta ſupernè
Prompta apicum ſeries, legioque cupreſſina ſentit
Harmonicum imperium; varioque minutula ſaltu
Automata in caput aſſurgunt, plauduntq; choreas
Ad ſonitus quos ipſa cient. neque terminus idem
Omnibus, aut eadem motus menſura moræque:
Sed ſtatus inſtabilis, ſemperque reciprocus ordo,
Legitimus ſine lege modus, diſcordia concors:
Atque eadem paſſim diuerſaque in agmine paruo
Inſilia

Inſilia exiliunt, & nullo fine laboris
Quæ ſaliere cadunt, & quæ cecidere reſultant.
Hinc multiplicitas, ſed & inuiolata modorum
Temperies: vt enim ſua per momenta micantes
Axiculi, arrectæque in roſtrula motacillæ
Concordes pepulere fides, reſpondet ad vnguem
Muſica teſtudo: ſuperis ſpectacula dantur
Auribus, it campo ſonitus, vox arbitra campi eſt.
Principio ingreditur timidè, & vix cœpta moueri
Refractariolum reprehendit vt anxia greſſum;
Inceſſumque magis tentat, quàm certiùs vrget.
Sic artis ſtudio celat, vel negligit artem,
Et veluti ſtillas numerorum adſpergere gaudet.
Sed poſtquam fidium genij incaluere ſonori,
Et Superùm ſeu viua ſatis ſtimulata cupido,
Seu deluſa ſitis miſeræ ſimulamine venæ,
Siue ſecuturæ præfata modeſtia pompæ eſt,
Continuò excutitur volucri patientia dextræ;
Paulatimque leui ſonus increbreſcit ab ortu,
Atque habili incurſu modulorum ad certa cadentum
Interualla tumet; donec tonat agmine pleno,
Et quaſi diluuio vocum concentus inundat.
Scilicet æriſoni vocalis ludia plectri,
Grandia nunc paruis, nũc dulcibus aſpera miſcet,
Nunc ſeſe à ſummis deuoluit ad infima lapſu
Præcipiti, gradibuſq; ad ſumma reuertitur iiſdem:
Deſcendiſſe putes, adeò tenet impigra culmen.
Interdum medijs alliditur, & pede blando
Lapſa retrocedit; interdum æquabile carmen
Continuat, trepidúmve quatit, fractúmve minutis
Concîdit numeris, & puncta ſonantia plaudit:

Sæpè

Sæpè per implexos voluit modulamina gyros,
Harmonicaſque vias, & flexiloquos labyrinthos
Ingreditur cantu vario; & per muſica ſenſim
Fila remetitur cæcos ambage receſſus:
Suſpirat, gaudet, gemit, altercatur, in omnes
Immigrat affectus, careat licet omnibus ipſa;
Cunctaque transformat ſeſe in miracula cantus
Vocalis Proteus, Superi ſi Protea noſſent.
Grata ſed in primis, ſtudijſque excepta theatri
Cantio, quam digitis olim modulantibus arma,
Prima triumphantis cecinit cithariſtria mundi;
Poſtquam fida Deo pubes, Aquilone ſedentem
In medio latronem Aulæ quæ militat vni,
Conſorteſque doli turmas, & fœda mouentes
Transfugia indigetes in Tartara deturbauit.
Hoſtibus exactis, Superi inſtituere quotannis
Sidereos ludos, dixere Fugalia Cæli.
Quæ quoniàm hunc ipſum, ſponſo dum Nupta Tonanti
Ducitur, incurrêre diem; placet ire canendo
In melos armatum, & ſimulacrum dulce furoris:
Quod tunc inuentum, nunc per veſtigia greſſum
Summa ferens, repetit fidicen diuinus Amorum,
Non minùs exemplo, quàm viuo imitamine felix.
Et decet hæc ſimili connubia ducere cantu,
Quæ reparent illas oriturâ prole ruinas.
Hic numeri innumeri, vocumque exercitus ingens,
Partitæque modorum acies, cladeſque canoræ,
Vocaleſque fugæ, ſonituſque ad terga ſequaces,
Et moduli inſtantes, & metra minantia metris,
Vin-

Vincentum plauſus numerorum; Ereboque cadentum
Organici gemitus, & præcipites vlulatus.
Præterea armorum clangor, lituique, tubæque,
Tympanaque, harmoniciq; tonitrua cetera belli;
Omnia quæ campo quondam ſpectata ſupremo,
Nunc digitis eadem argutantibus exprimit Ales
Flexanimus, fidibuſque expergefacta figurat:
Iamque operum gemino cantu cæleſtia Diuûm
Bella repræſentat, non vt magis ipſa ſibi ipſis
Aſſimilata putes; animaſque vel ire ſupernas
In vocem, aut tenues animari in prælia voces,
Et bellatricem fidibus inoleſcere mentem.
Hæc poſtquam arbitrio æthereus proluſit Ephebus,
Et ſocijs magnæ ſpecimen breue præbuit artis,
Obſequium orditur ſonitus, obnoxia certis
Cantica carminibus, numeroſque haud lege ſolutos;
Sed quibus inſiſtant diuini voce choraules,
Deque ſono accipiant moderamina fida canendi.
Namque per hos plauſus, & amicæ munera pubis
Nobile par Iuuenum aſſurgit, geniumq; laceſſit,
Neſcio quid meditans; quos reſpondere paratos
Ad numerum, & dulci vocum certare duello,
Inſtituit Melopœa, ſui choraliſtria Cæli:
Nunc tamen & cantu æquiparant & voce Magiſtram.
Ergo inter ſeſe contendere verſibus ambo
Alternis cœpêre; decent alterna iugandos.
O ego ſi numeros & mollia verba tenerem!
Aggrediar tamen; &, memori quæ condita ſeruo
Mente,

Mente, ſequar. Vos huc animos date; ſic prior
infit:
Inque vicem hic Sponſum, Nuptæ canit alter
honorem.
Ambit vterque ſonum concentibus, & pede vocis
Aligero greſſum melicæ teſtudinis æquat.
Cernitis? è thalamo Sponſus procedit auito.
Hunc Amor extorrem potuit deducere Cælo,
Et Natum cari complexu auellere Patris,
Complexu Patris fugientem auellere Natum,
Connubio iungendum, atque optatis Hymenæis.
Cernitis, ô ſocij, Nuptam? diſcedite contrà:
Materno iacet in gremio ſecura Pudoris.
At cum flammeolo tanget pede limina Coniux;
Materno fugiet gremio, nec, vt antè ſolebat,
Auerſata faces, Sponſo iungetur amanti.
Ille genus ſummum trahit alto à ſanguine
Diuûm,
Vera Dei Soboles, Patrique ſimillimus idem.
Nobilis eſt Coniux: quid tantum Nupta moraris?
Annue; ſi neſcis, erit & te Coniuge dignus.
Iſacidum genus, & Ieſſeo è germine virga,
Virgo nupta viret, proles æquiſſima Regum.
Nobilis eſt Sponſa, ô Coniux: audentior ito,
Quid tantum ſubſiſtis? erit te Coniuge digna.
Nondum confuſo diſceſſit ab aëre Cælum,
Nec grauis incubuit librato pondere tellus;
Immortalis erat, fugitiui temporis expers,
Felix ſorte ſuâ, felicis terminus æui.
Vixdum ſuppoſitas montana cacumina valles
Calcabant, terrâque eruperat agmen aquarum;
Illa Deo comes immenſis in fluctibus ibat,
Et

Et ſenior iam tum, puero ludebat in orbe.
Aureus es Coniux, par eſt tibi gratia frontis,
Par decor; haud ætas ſimilem tulit vlla priorum.
Tantum aliis præſtat formæ tua gloria; quantum
Sidereo præſtat Titania forma theatro.
Regius eſt tibi, Nupta, decor, formâque decenti,
Quot ſunt quotque fuêre Heroides, haud tibi certant.
Quantum aliis præſtat facibus Latonia, tantum
Virgineo in cœtu ſpecies tua deprimit omnes.
Splendet ebur, ſplendet natiuo lumine Titan,
Et ſuus eſt quondã gemmis honor, & ſuus auro.
At tu ſi formam exponis, tum cetera ſordent;
Pallet ebur, pallet nigrâ ferrugine Titan,
Nec ſuus eſt gemmis honor vſquam, nec ſuus auro.
Candida ſunt primam ſtillantia lilia myrrham,
Dulcè rubet radiis roſa ſubdita matutinis.
At tu ſi luces aperis, color exſulat omnis;
Lilia nec candent, quamuis ſtillantia myrrham;
Et radios bibat illa licet, roſa pallida languet.
Aſpicis vt toto collucent ſidera Cælo?
Vt ſpargunt in nocte diem, plauduntq; choreas?
Quò fugitiue ruis? Superum ſi liqueris axem,
Sidera diffugient, ſuccedent nubila Cælo.
Aſpicis vt mœrent hiemali prata veterno?
Vt glacie torpent ſegetes? vt inhorruit orbis?
Heu fuge: ſi mœſtas habitaueris incola terras,
Cedet hiems, vernis ſuccedent floribus arua.
Hæc illi inter ſe certamina vocis habebant
Diuer-

Diuerſi ſtudijs, ſed conditionibus ijdem:
Cum ſubitò Gabriel pennis diuerberat auras
Bella diremprurus cæleſtia. Quis pudor, inquit,
O Proceres, vbi regnat Amor, ſeruire duello,
Et ſcindi in partes, vbi partibus itur in vnum?
Non his obſequijs eget irreuocabile tempus:
Annuit æthereo regalis Nupta Marito;
Annuit, ipſe oculis nutus, ipſe auribus hauſi
Virgineas voces, quibus emollita Tonantis
Ira cadat: quid Amor faciet? vidi ipſe iugales
Cùm Deus abſoluit ventos, ſolioque curuli
Deſiluit, ſeſeque cupita in limina clauſit.
Dixerat hæc Gabriel, ſuperi tacuere Choraules;
Nec fruſtrà tacuere: ſilentia grandia pondus
Vocis habent; fit ſolus honor, fit pura voluptas
Qui modò cantus erat: quippe ad miracula Verbi
Materno primùm in gremio ſine voce locuti,
Vòx Superûm riget, & ſtupet in mera gaudia
plauſus.
Ergo age, mortales, quid pluribus argutemur?
Huc licet vſq; ſequi: quod erat memorabile dixi,
Cetera dicet Amor; non omnia poſſumus omnes.
Idque audire ſatis, quod poſſit plura docere.
In thalamo Deus eſt; Coniux in Virgine Virgo.
Ipſa ſuo Sponſum veſtit de ſanguine Nupta,
Atque adytis cohibet. Latet impenetrabile Nu-
men,
Et fugit ad gremium; nec ſe cupit antè videri,
Quàm tegat humanâ Diam ſub imagine for-
mam.
Ite igitur teneri, fugit Heſperus, ite Hymenæi.

VIRGINIS ELISABETHAM INVISENTIS PROPEMPTICON

Ab Hieronymo Plenio, Sem. Rom. Conuictore, dictum.

CARMEN IX.

PArcite, ſi quis amor, ſummis in montibus Hebron
Exercere leues opera in fabrilia dextras
Siderei Proceres: aderit iam Regia Virgo.
En volat, en celeri calcat iuga proxima greſſu.
Proijcite arma manu: ſatis eſt voluiſſe tributum
Moliri Domino. Procul, ô procul omina mortis;
Quadrifidaſque arcete trabes; neu flebilis arbor,
Ante diem, miſeræ moueat faſtidia Matri.
O ego, cui voces furatur in aëre nimbus!
Illi inſtant operi, dextraſque licentiùs vrgent,
Nec cœpto abſiſtunt; niſi cùm manus vltima poſcit.
Scilicet Aligeri, qui nuper ab orbe paterno
Deduxêre DEVM caſtæ genitricis in aluum,
Poſtquam defuncti obſequio coluêre Tonantem
Virginis incluſum gremio, ad præludia vitæ;
Ilicet ad Iudæ montana virentia tendunt:
Hîc vbi palma frequēs, & inumbrans aëra cedrus
Creſcit, & in ſiluâ nomen Libanitide ſeruat.
Ergo alacris Pubes, & fatis plena futuris,
Triſte miniſterium, & molimina dura laborum

Certatim aggreditur dextris: amor omnibus vnus
Quadrifidam fabricare trabem, monumenta doloris
Triſtia, quæ Domino naſcenti ad luminis oras
Dulcia dona ferant; clauoſque vncoſq; trabales;
Horrenteſque rubos, optata crepundia nato.
Inſtant ardentes Superi: ſua quiſque tuetur
Munera: ſed facili tractant opera omnia motu;
Aſſueti immenſos verſare rotatibus orbes.
An graue ſit quidquam, quibus eſt leuis alea Cælum?
Nec mora: pars veteres conata bipennibus alnos
Exſcindit: truncos, & adhuc rude robur adæquant
Dentati chalybes: argutaque lamina ſerræ
Quatuor in facies, totidemq; in cornua quadrat,
Pars latera æqua dolat, ferroque politius vrget,
Artifici ferro, quod longæ carcere buxi
Clauditur; vnde acies mergit, quantum ima ſubactam
Materiem morſu allambat: volat illa frequenti
Pulſa miniſterio, per & exæquabile dorſum
Itque reditque trabis, dum læuia fingat eundo,
Aſpera quæ ſubeunt; & quæ turgentia, ponat.
Pars hinc inde trabes, & tranſuerſaria ſubdit
Brachia, & in verſum nihil obliquata decuſſat.
Pars maiora parat, totumque emblemate multo
Cælat opus: ſculpit necis inſtrumenta futuræ,
Affigitque cruci tormenta nouiſſima, quondam
Affixura DEVM, pretioque rependit eodem.
Hactenus Aligerûm pubes operoſa laborat:
Nec labor ille tamen, nec cura niſi inſcia curæ;
Cæle-

Cæleſteſque animas diſcrimina nulla fatigant.
Intereà attollunt æquatis viribus ingens
Argumentum operis : tum conſternata recumbunt
In genua, & tantæ Vexilla ſalutis adorant.
Agnouit longè facinus præſaga malorum
Virgo, ſuamque Crucem (quis enim ſua vulnera neſcit?)
Vt vidit tamen, vt periit! ſuſpiret ab imo
Corde? ſed & gemitus, & inertem diſſipat auram
Clauſus amor gremio; nec habent ſuſpiria vocem.
Funderet ex oculis lacrymas ? nec reppeit imbrem,
Quem pluat, arcani ſol pectoris horrida pellit
Nubila. Quid faciat cui proxima cauſſa doloris,
Sed dolor omnis abeſt? quos non habet, aduocat æſtus,
Et miſeram fortuna facit, triſtemque voluptas.
Quòd ſi fortè dolet, non eſt dolor : ægra videri,
Sed non eſſe poteſt ; cuius de pectore ſurgit
Vena boni, ſemperque ſuo ſe flumine paſcit.
Vt celerat, propiuſque Crucis ſimulacra tuetur;
Subſtitit, &, Cui te, dixit, mea vita reſeruas?
Hæc tibi funeſtus parat incunabula mundus?
Quos ego in amplexus cæleſtia pignora geſto?
Cui venit officio ſanguis meus ? horrida mœſtæ
Vt pingit monumenta necis! Nec pluribus vſa eſt.
Nempe querelarum plura argumenta negabat
Cordis Amor, nec erat mœrendi turbidus auctor.
Quidquid id eſt, Nati Patriſque in vota recumbit.
Audijt Aligerûm manus obſequioſa loquentem
Pauca; ſed attonito meditantem plurima vultu.

Et

Et videt, & ſeſe incuſat: iam pœnitet artis,
Et feciſſe dolet quod ſit tibi, Diua, dolori.
Tum famulatricem deducit ab aëre nubem,
Inuoluitque Crucem nimbo; truncoſq; trabales
Eripit ex oculis, miſeræ ſpectacula Matri:
Et ſimul ex animo triſtiſſima ceſſit imago:
Vrget enim ſuus intus amor, mentemq; ſerenat.
At pubes mœſtum compenſatura laborem,
Emicat ad Dominæ caſtum latus: ambit euntem,
Veſtigatque frequens; ſed, quamuis vrgeat alas,
Vix tamen aſſequitur, quam penna vehebat
Amoris.
Illi ſeruitio incumbunt: pars ſtrata viarum
Aſpera mollito ſubigit mitiſſima cliuo;
Saxaque, ſurgenteſque rubos, & inhoſpita vellit
Errantum tormenta pedum: pars nectare puro
Spargit humum anteuolans, & pulueris enecat
vndam:
Pars florum nimbos, & olentes ingerit herbas,
Dulce leuamentum pedibus. Spirabilis imber
Attactu Dominæ ſibi furaretur odorem,
An daret, ambiguum: certè illo ex tempore creuit
Veri maior honos, & gratia floribus aucta eſt.
Pars librata ſuper pennas, velut agmine facto,
Deſuper incumbunt, ſeſeque in mutua nectunt
Vincula, & ingenti laterum compagine nubem:
Sideream efficiunt nubem; quæ ſolis ab æſtu
Vendicat errantem Auroram, placidâque vo-
lantum
Alarum vice, pro Zephyris exſuſcitat auram.
Sic volat in montes, ſine me; mea Dia Viatrix.
Sed quid ego moror? Eliſabes iam proxima ſedes

Meta Viatrici patet vltima. Quis mea turbat
Gaudia? iam nitidum caput occultare meus Sol
Incipit: en ſubit, & mihi iam tota occidit, & me
Ipſa ſuo necat occaſu. Quid cetera dicam?
Nocte premor: taceo. Sunt grata ſilentia nocti.

B. ALOYSII GONZAGÆ
E SOCIET. IESV
CVM DEO COLLOQVIA.

Oariſtys à Pallante Gratiano Acad. Parth. dicta.

CARMEN X.

QVis tibi tam faciles cæleſtis Dædalus alas
Expedit, & mentem format, Gonzaga, volucrem
Aëra per medium? ſuus illam ſpiritus vrget,
An Deus? an ſua cuique, leuis ſit penna, voluptas?
Quidquid id eſt, magnum eſt: ſic Fama pediſſequa Veri
Nuntiat, ætherias animum volitaſſe per oras
Sæpè tuum; & tenui membrorũ carcere lapſum,
Inueniſſe vias ad Iudicis ora Tonantis,
Atque oraſſe ſuam, ſe tantùm interprete, cauſſam.
Nox erat, & nigrâ ſopibat imagine terras
Somnus, curarum domitor, pretiumque laborum;
Sed non Cæli oculos clauſit ſopor: aurea circum
Aſtra quieſcentem, radijs vigilantibus, orbem
Seruabant, tacito vix conniuentia motu.

Tu

Tu quoque, ſiderei comes agminis, ora trahebas
Irrequieta Puer: nempe hoc vel nomine ſidus
Nobile terrarum es. Nec te ſopor altus habebat
Qui reliquos ſternebat humo; niſi fortè ſoporem
Dixeris hunc, quem fecit Amor, ſpirabilis hoſpes
Pectoris æterni, Diuinæ filius auræ.
Ergo propinquantis violento Numinis œſtro
Tactus Aloyſius, taciturnæ noctis in vmbrâ,
Indulgere Deo quoniam iuuat, emicat ardens
In medium conclaue, toro demiſſus ab alto:
Hîc poſitis terræ genibus, manibuſque ſupinis,
Supplicis os, animumque gerens, in vota laceſſit,
Aurea vota, Deum. Quæ tum cum Numine ſolo
Solus agit? tacet os, oculorum labra loquuntur,
Verbaque ſunt lacrymæ; donec ſuſpiria rumpunt
Cordis iter, ducuntque profundo è carcere voces:
O Pater, aiebat, generique ſimillimus auctor,
Qui potis es ſimilē tibi fingere, finge precantem
Hanc animam, ſi parua tuæ ſum linea vitæ.
Sum tuus, ô Genitor: neque me mea debita torquent,
Quandoquidem debere iuuat. Cum fœnore ſoluit,
Qui, cui debet, amat: nec amat qui munera differt.
En erit illa dies, quæ me tibi reddat amantem?
Nec pudet alterius dici. Debere puderet
Hoc quantū eſt animæ, niſi tu mihi creditor eſſes.
O vtinam te, magne, fruar; patrioque receptus
In gremio, claudam momenta nouiſſima vitæ,
Quæ plus mortis habet! Quid adhuc ſpem tempore paſcis?
Hanc vitam libare ſat eſt: nocet hauſta voluptas,

Quæ labris admota iuuat. Iam deſipit humor,
Qui placuit. Viden,vt diſcrimina mille malorum
Circũſtant? hinc luxus opum mihi vincula nectit
Aurea, ſed ferro grauiora: hinc dulce venenum,
Aula, ſitim facit: hinc genitrix fecunda nocẽtum
Hydra voluptatum , ſæuâque nocentior hydrâ
Ipſe ego me ſequor,ipſe mihi metuendus,& idem
Me metuens, idem patior quæ vulnera feci:
Quantò proximior, tantò violentior hoſtis.
Quid faciam? quâ vi fugiam me me ipſe ſequentem?
Plura locuturum prohibet dolor, vltima luctus
Exprimit, & meliùs lacrymæ quàm verba perorant.
Audiit è Cæli ſecretâ parte gementem
Diuus Amor,doluitque, dolor ſi tangit Amorem.
Labitur extemplò, qualis ſine nube videri
Cælicolis quantusque ſolet: ſed frontis honorem
Depoſuit; neq; enim iubar impenetrabile ferrent
Mortales oculi, viſumque retunderet ardor.
Senſit Aloyſius properantem, & læta ferentem
Argumenta voluptatis ; nec maluit vmquam
Poſſe loqui,quàm cùm melior ſententia vocem
Poſcit, & extimulat ſua ſe per gaudia pectus.
Dicere conantẽ Deus occupat: Hoc ſatis, inquit,
Deſine plura Puer : ſatis eſt voluiſſe fateri
Quidquid id eſt,quod pectus habet:nec numina pectus
Noſtra latet. Nunc tu,quoniam libet,vtere votis.
Vix ea,cùm liquidum Diuini roris odorem
Fundit in obſtantes operosâ aſpergine vultus;
Inque oculos & in ora liquat : dein ventilat alis,
Inſpi-

Inſpiratque auram, leuiorum obliuia rerum
Aſpergentem animo, melioraq; ſenſa mouentem.
Nec mora, iam tenuis membrorum obſtacula rumpit
Spiritus; & molem, quâ tardiùs ire ſolebat,
Linquit humi ſimplex, & iam ſine corpore vita;
Ipſe ſuas illi pennas Amor, ipſe volatum
Expedit, ipſe pari moderamine librat euntem,
Expenditque fugam, ne parte laboret iniquâ:
Mox propriâ grauitate leuis ſine remige penna
Carpit iter, mentemq; tuam, Genzaga, volantem
Ducit inaſpecti ſecreta per atria Cæli.
Ille quidem ſuperas ſecurus inambulat oras:
At corpus ſine mente iacet: non labra gubernat
Halitus ad vocem: iam torpet anhelitus oris:
In venis iam ſanguis hebet: non palpitat imum
Pectus, & in mediâ cor pectoris arce quieſcit:
Lumina fixa patent, ſtant tegmina neſcia flecti,
Immotumque ſupercilium: ferale cadauer
Dixiſſes, niſi quòd vitam ſapit oris honeſtas.
Neſcio quid ſpirat, vitæ ſine munere, vultus.
Aut ſi non ſpirat, ſperat tamen, æſtuat, ardet,
Sollicitatur, amat, gaudet, dolet; omnis in vno
Statque caditque color, ſeſeque reciprocat æſtus.
Vſque adeò vultum; quamuis ſit diſſita longè,
Mens animat; nec in ore negat, quid tractet in aſtris.
Cetera quid memorẽ? non eſt mortale quod optas
Muſa redordiri: prohibent adamantina Cæli
Vela, Tonantis opes, Superûmque arcana videri.
Sic ſumus infelix hominum genus: aſtra tuemur
A tergo, faciemque negat mortalibus ardor:

Extimus inuitat viſum decor, intimus arcet:
Multa licet ſint aſtra, inopes nos copia fingit;
Nec faciunt homines vel ſidera mille beatos.
Ergo, ſidereis quid mens agitarit in oris,
Explorare nefas. Amor illi in ſidera Ductor.
Hoc audire ſatis: tu cetera coniice ab vno.
Aut, ſi tanta ſitis rerum cognoſcere cauſſas;
Conſule cæleſtem, ſi noſti, conſule Amorem.

B. ALOYSII GONZAGÆ E SOCIETATE IESV VOLVNTARIA PRO CHRISTI AMORE SVPPLICIA.

Soteria à Balthaſare Cittadellio Sem. Rom. Conu. dicta.

CARMEN XI.

O Amor, ô viuax hominum Diuûmque volu-
ptas,
Quis te carnificem meliorum fecit amantum?
Senſit Aloyſius tua vulnera, Diue repertor
Pœnarum, teneriq́ue ſatellitis aurea tela
Sentit adhuc antiqua, infixaq́ue pectore ſeruat.
Tu mihi,ſeu faciles, Diuine ſagittifer,arcus
In Cælum exerces, ſeu vibras ſpicula terris,
O ades, ô bonus, & vultu ne deſpice vatem
Facta renarrantem tua, ſed non verſibus æquis.
En ſignum,quò tela vibres. Mihi deniq; centum

Grandia nunc vellem, totidem cum vocibus, ora:
Sed vellem, quæ tu feriendo feceris, ora:
Et linguæ centum non ſint niſi vulnera centum.
Vix benè traductis ratione carentibus annis,
Cœpit Aloyſius viuendo agnoſcere vitam:
Cùm medias pius inter opes, intraq; frequentum
Blandimenta voluptatum, caſtiſſimà dixit
Vota Deo, mentemq; animumq; dicauit Amori.
Vidit Amor, riſitque: & prædâ diuite lætus,
Accipio te, Nate, inquit; tu fœdera faxis
Intemerata ſient: meus es, Puer optime; neu te
Subtrahat aut ætas aut mens incerta futuri,
Mox adero defenſor. At hæc tibi nuntia mitto
Dona priùs. Dixit, ſubitoque volubile telum
Intorſit pius. It cuſpis potura cruorem
Ad Pueri venas, & vulnere pectus acerbat.
Fortè ſoporis inops taciturna per otia noctis
Stabat Aloyſius, Numenq; in vota vocabat,
Tendebatque manus, infringebatque ferendo,
Nudâ nudus humo, brumæ intractabilis iras;
Cùm ſubitò æterni iubar inſuperabile Solis
In mediâ fert nocte diem: procul alite pennâ
It nigror, & liquido conclaue rubeſcit in auro.
Senſit Aloyſius venientem: nam quis Amorem
Diſſimulet, tanti nec ſentiat hoſpitis ignes?
Quiſquis is eſt, ſine ſenſu, & vix ſpirabile ſaxū eſt.
Venit Amor: ſed prô! quantum mutatus ab illo,
Plurima cui teneram tranquillat gratia frontem;
Qui Superos nutu beat, impenetrabile Numen!
Regia non illum vndanti chlamys ambit amictu,
Non aurū, non gemma notat; non ſutile cælum
Intextusque aër, & vela thalaſſina condunt;

Sed toga, quam liquidus cinis olim pinxerat, at nunc
Ipſe etiam ſeſe cinis hic extinxit, & anceps
Pro fuco rigor, incertuſque ſubalbicat horror.
Quid referam incomptos, per liuida tempora, crines?
Quid faciem incultam? quid nuda coloribus ora,
Tabenteſque oculos, & lumina neſcia lucis,
Neglectumq; ſupercilium? quis credat Amorem?
Et tamen eſt Amor, & lacerâ ſub veſte triumphat.
Ille quidem poſuit, quem dudum geſſerat, arcum;
Sed fecit noua tela, nouas ſe vertit in artes.
Texuit artifici primùm diſcrimine telas,
Horrentes telas, & equinis aſpera ſetis
Cingula, Cyniphiiſque attonſa cilicia villis.
Prætereà quinos nodo ſociauit eodem
Funiculos, iunctiſq; caput dedit omnibus vnum.
A capite abſoluit nexum; iuſſitque vagari
Proniùs, & ſparſim liberrima ſerpere fila.
At fibrarum oras, ſupremæque agmina caudæ
Implicuit nodis, & textu duplice ſepſit;
Nobile ſupplicium, tempeſtatemque, nocentum
Terga flagellantem, ſcelerumque vltricia tela.
Nec ſatis: alipedes laxantia lora Moloſſos
Attulit expedienda; catenatiſque rigentem
Orbiculis chalybem, ferrique plicatile pondus,
(Heu quàm diuerſos quæſitum pondus in vſus!)
Quin etiam æratis calcaria ſentibus aſpra
Subdidit, & puero tulit irritamen equorum.
Circulus eſt, ferro mediâ plus parte politus;
At, quâ parte chalybs defecit, habenula ferro.

Lorea

Lorea ſuccedit;complexaque perficit orbem,
Ferreus hinc ſtimulus, ſtimulique minutula cuſpis
Plurima ſe prodit, formatque volubile ſidus
Circuitu radiorum, & acuminat ictibus oras,
Clauiculiſq; armat, tormẽtum immane ferarum.
Hæc Amor, abiectis, fera ferramenta, ſagittis,
Durus Amor tulit,& Puero tractanda reliquit
Sæua miniſteria, & rigidi compendia fati.
Tum ſic aggreditur, verbiſque inſpirat Amorem.
O Puer, ô generis iuſtiſſima gloria noſtri,
Quẽ mihi purpureas naſcentẽ ad luminis auras
Millibus è multis colui, propriumque dicaui;
Indue magnanimum,ſanguis meus,indue pectus:
Non te pigra quies, & deſidis otia vitæ,
Crede,iuuant; duras labor impendendus in artes.
En ego durus Amor; ſed plumâ læuior idem:
Cum rigidis idem mollis,cum mollibus aſper.
Si meus eſſe velis; ne te blandiſſima Siren,
Saga tyrannorum,regali excantet in oſtro.
Quid tibi cum luxu, quem diues inaurat Hydaſpes?
Ne gemmis inhia, niſi quas de ſanguine pinges
Ipſe tuo; fode membra, feri præcordia ferro;
Hîc gemmas ſcrutare, fluent è pectore gemmæ:
Non alio ſeu vendit Amor, ſeu venditur auro.
Quare age: quæ cernis rigidæ ſæuiſſima cædis
Inſtrumenta,tuum veniunt potura cruorem.
Paſce ſitim; flagris diſcerpe frequentibus artus,
Te pete,rumpe ſinum,lacera latus,vtere dextrâ:
O quem te memorem, ſi tinctum ſanguine cernam,
Æquantem paruis ingentia vulnera membris!

Durus eris, cùm blandus eris. Tu funde cruorem,
Si ſapis. Irriguo placet empta cruore voluptas.
Aſpice me ſimilem quem tu tibi fingis: & eſſes
O vtinam! viden hanc pallentem funere frontem,
Hos oculos, hæc ora rigentibus horrida malis,
Aſperſáſque cicatrices? Deus ille leporum,
Ille Deus, Superûmque hominumq́ue æterna poteſtas,
Os habitumq́ue reo ſimilis vagor: & tua tanti
Sit tibi forma, Puer, tua viſcera ſint tibi cordi?
Exemplo te finge meo. Quæ vulnera fecit,
Hæc curabit Amor: nam quæ ferit haſta, medetur.
O ego cùm teneri ſiſtam tibi ſanguinis vndam;
Cùm manus hæc ingens, animorum Dia creatrix,
Immemori lymphâ, Cæliq́ue potentibus herbis
Leniet infractos artus, lacerataq́ue ferro
Oſſa ſuper, liquidum Ambroſiæ diffundet odorem,
Quàm tibi tum velles ingentia creſcere membra
Vulneribus! tam dulcis erit medicina dolori.
Ergo age, macte animis Puer, & virtute recenti:
Innocui quantum per dira flagella cruoris
Perſolues, tantum tibi Numinis ipſe rependam.
O felix mercator, emas ſi ſanguine Numen!
En ego ſum, mihi crede. Ea verba nouiſſima dixit;
Cùm ſe, qualis erat, facie confeſſus, inertes
Protinus exuuias, & non ſua ſubtrahit ora,
Aſpectuq́ue patet Diuum genus. Aurea frontis
Gratia, tranquilli ſpecies argentea vultus,
Gem-

Gemmeus ex oculis lepor emicat;eſt coma ſolis.
O ego ſum cæcus, qui pingere conor Amorem!
Idque audire ſatis,Amor eſt:nam cetera ſordent.
Ille vbi complexus Puerum Deus, oſcula centum
Liquit Aloyſio, ſeque inſpirauit abundè;
In Cælum paribus ſe ſuſtulit impiger alis.
Quæ tibi nunc vires, quæ ventilat aura ſerenum
Pectus,magne Puer? ſentis placidiſſime,ſentis,
Quantus in amplexu ſteterit Deus? otia rumpit
Flamma, penetrales animi populata medullas,
Ardenteſque micant voces in verba,priuſquam
Exſiliant in facta manus. Quid in æthera,dixit,
Hoc quoque crudelis, vix cognita ſubripis ora,
O Amor? ô redeas! aut te mihi redde volentem;
Aut tibi me: viuam modò tecum;præſtat vtrumque.
Intereà ingentem ſolabor cæde dolorem,
Dum rediturus abes: ſcribam tibi pectoris ignes
Sæpè mei,lacrymaſque,& vota vicaria cordis:
Sed tibi quæ veniet, ſcribetur epiſtola ductu
Sanguinis; ille notas liquor exprimit vnus Amoris.
En ſtylus! ô fortis generoſa crepundia dextræ!
Quæ mihi fecit Amor Puero, puerilia dona,
Inſtrumenta voluptatis, non arma furoris;
Accipite hos, ſi caſta rogo; ſi digna rependo,
Sanguineos latices; aut, ſi fortuna iuuabit,
Accipite hanc animam; Dominoque adducite veſtro.
Dixit, & ad pectus ter flagra minacia duxit,
Aurea ter rigidis admouit labra catenis,

Oſculaque impreſſit; quibus emollita, rigorem
Vis chalybum poſuiſſet, inexhauſtamque futuræ
Cædis auaritiem: ſed inexorabile finxit,
Finxit Amor tum forte, ad ſenſa tenerrima, ferrum.
Nec mora: iam ſurgit penetrabile pectus in iras,
Iam nouus ardor agit; libet attentare doloris
Prima rudimenta, & facili proludere pugnâ:
Iam ferrum, iam lora manu trepidantia tractat,
Iam dextram attollit, iam fulminat impiger ictus.
Nox, quæ cæruleo complecteris omnia gyro,
Sola theatralis ſpectatrix lurida facti;
Tu tenebris permitte tuis accedere lucem,
Si quam cæca valent accendere carmina lucem,
Quæ rapiat rigidæ nigris è faucibus vmbræ
Tantum opus, & tenues ad luminis euehat oras.
Nitebatur humi Gonzaga, & poplite flexo
Supplicis in morem, medium conclaue tenebat.
Hic ergo tenebris & munere noctis opacæ
Vtitur, vt cæcos in ſeſe exerceat ictus.
Non ſic præcipitant immiſtâ grandine nimbi
Aggeribus ſuper Alpinis, cùm plumbeus Auſter
Excutit vndanti glomeratas turbine nubes;
Vt fera tempeſtas flagrorum, vt ferreus imber
Verberat ingenuos repetitis ictibus artus.
Ille quidem Puer eſt, ſed non pueriliter audet.
Si negat indocilis rerum & certaminis ætas,
Suppeditat contrà iuuenilia pondera Virtus.
Membra vides Pueri; ſed verbera crede Gigantis.
Eſt pietas, non eſſe pium: ſine fulmine nullum

Cre-

Crebreſcit tonitru, nullum ſine cæde flagellum:
Ingeminat crebros ictus,duplicataque denſat
Vulnera vulneribus, ferit acriter, arduus inſtat,
Attollitque animos, dum pronam ad verbera dextram
Deprimit; incendunt, ſed non ſua,crimina vires.
Ipſa etiam, quæ ſemper iners,quæ candida ſemper
Erubuit numquam,rigidamque exarſit in iram,
Virginitas nunc ſæua furit; nunc arma miniſtrat,
Hortaturq; manum verſet, figatque refigatque,
Et premat,vt cupido vindemia creſcat Amori.
Tantáne tam paruum cohibent incendia pectus,
Vt tot in exiguis quærant ſpiracula membris?
Nec ſubitus cruor effoſſo ſe corpore prodit?
Nempe diu dubitat,quo primùm è vulnere currat;
Tot videt,vnde fluat, ſpirabilis oſtia ſanguis.
It roſeus tamen,& totis ſe denique venis
Vndique,qua data porta,ruit, puroque colorum
Lumine pingit humum, corpuſque exangue relinquit.
Iam ſimilis lapſanti,animamque in fata trahenti
Nutat Aloyſius, colloque recumbit in armos
Semianimis, proprioque in ſanguine membra volutat.
Fugiſſetque omnis laceratos ſpiritus artus;
Sed prohibet Diuinus Amor, ſeramque reſeruat
Ad noua bella, nouas pœnas, noua vulnera, vitam.
O Amor! & quis carnificem te fecit Amantum?

B. ALOYSIVS GONZAGA A PARENTE INGRESSVM IN SOC. IESV IMPETRAT.

Proſeucticon à Chriſtophoro Ferretto Sem. Rom. Conu. dictum.

CARMEN XII.

SIſte, quid immeritos in tantum percutis artus,
Et tecum me, Diue, feris? ah! ſi quà tuorum
Cura ſubit (neque enim tua te ſolatia tangunt)
Proiice flagra manu, Regum genus, exue dextram
Fulmine. Quæ Pietas, in mēbra tenerrima ferrum
Vertere, & innocuo bellum importare cruori?
Candidus eſt tuus iſte cruor, neque nigra meretur
Supplicia : argento niuibuſque ſimillimus albet,
Et plus lactis habet, quā ſanguinis, aureus humor.
Dure nimis Puer, ah tantum ne crede colori:
Irriguus liquor, immiti quem vulnere poſcis,
Sit roſeus licet, & rubicundo purpuret oſtro,
Non eſt ille cruor; ſed copia virginis vndæ;
Sed Cæli liquor, & ſtillati ſuccus Amoris:
Aut ſi fortè cruor, cruor eſt quem Lilia ſudant.
O ego, qui ſurdas caſsâ prece demoror aures!
Ille catenato furit in ſua terga flagello
Crebriùs, & ſtrepitu repetiti fulminis vmbrat
Non exauditas, per ſæua tonitrua, voces,

Seque

Seque ſimul lacerat, ſimul & mea vota cruentat.
Iam Puer indociles Gonzaga peregerat annos,
Veſtibulum ætatis; propiuſque euaſerat æui
Prima rudimenta, & teneræ confinia vitæ;
Cùm patrias exoſus opes, & nomina Regum,
Impleuit cælum votis, ſeque obtulit vltro
Deſerturum artes & luxum mobilis Aulæ,
Spemque metumque omnem, niſi Numinis; impiger ex quo
Concepit ſenſus in IESV nomen ituros,
Diuite contentus Cælo, ſub paupere tecto.
Sed prohibet Genitoris amor, nil tale ferentis,
Et precibus claudentis iter, ne pectoris arcem
Expugnent, cedatque pio victoria Nato.
Sæpè rogaturum durus Pater arcet Ephebum,
Auerſoque inhibet vultu, nec, vt antè ſolebat,
Excipit amplexu venientem,& multa precantem;
Sed magis increpitat: naturæ viſcera ſeruat,
Artis habet frontem: quam non gerit, euocat iram
Nube ſupercilij: labor eſt, ſimulare nocentem
In cauſsâ pietatis: Amor, niſi durus aceſcat
Inque odia, inq; ignes,& Amoris nomina perdat;
Donec Amor dicetur, erit: phaleraſque furoris
Si fortè induerit, potiùs formabit amantem
Ipſe iram, quàm ſæua ipſum probet ira furentem.
Non aliter, cùm tranquillæ fera nubila fronti
Induit, & Nato Pater implacabilis ardet;
Non eſt ira ſui iuris, ſed ſeruit Amori
In Genitore furor; vultumque precarius implet,
Immiſcetq; minas: quo non magis acre venenum,
Vt deſideriis vellat puerilibus alas.

Sæpè etiam ſe prodit Amor, nec abutitur irâ;
Sed ſine nube tonat, proprio ſe Marte fatetur;
Delicias, ſua tela, rotat, Natoque Parentem,
Nobile par pugilum committit, & aurea promit
Spicula verborum, lacrymaſque & mollia frontis
Blandimẽta mouet, vel & oſcula ſæuus obarmat:
Nempe quibus Genitor pugnat; miſcetque ſeueris
Dulcia, promiſſiſque minas, modò grandia Nati
Vota in ſtirpe necet, ne Cælo proxima creſcant.
Nec Puer expauit patrias variabilis artes,
Aut emota loco ceſſit ſententia mentis:
Perſtat adhuc meliore gradu; ceu filia Ponti
Rupes fixa mari, quæ, vultu ſemper eodem,
Oceani patris aut furiales ſuſtinet vndas,
Aut arridentes pellaci aſpergine plauſus.
Sed, ſua non patitur differri gaudia pectus;
Et malè nutritur, qui tempore paſcitur, ardor;
Seq; abſumit Amor, niſi quã petit inuenit eſcam.
Ecquando, aiebat, ſit meta nouiſſima votis?
Semper inhærendũ ſalebris? via libera numquam
Memet aberrantem terreſtribus inuehat aſtris?
O vitam, ô rerum illecebras, ô prodiga Regni
Sidera, fallacemque meis natalibus Aulam!
Ergóne, quòd viuo genitalibus editus auris
Primitiæ generis, fraternaque tempora vitæ
Naſcendi auſpicio præuerti & præcoce partu;
Idcircò leuiora mihi patrimonia cedant?
Si ſcelus eſt, vixiſſe prius; non metiar annos
In vitæ cenſu, qui me fecêre nocentem.
Sin culpâ natale vacat, quo crimine plector,
Dum præiudicio vitæ mihi vitą negatur?

At me ſceptra manent? eſto. Neque Regna, ſed vmbram
Odi Regnorum: Cælo mea iura locantur.
Quid mihi terra datur? non eſt æquabile pondus.
Et cinere exiguo malè compenſatur Olympus.
Hæc mea pars: ſi lege feror primarius heres;
Cur non heredi datur optio prima bonorum?
At mihi iam fixum menti ſedet, ire per omnes
Artis opes, felix modò rideat alea cœptis;
Et, terræ iactu, cadat in mea commoda Cælum.
Vincere ſi nequeo Genitorem, ſidera flectam:
Et ſortem, quâ pellor, emam, niſi debita cedat.
Eſt hic, eſt animæ plenus liquor; & mihi venas
Sanguis habet, nec amore minùs quàm feruidus annis:
Hunc ego profundã, & Patri ſua munera reddam:
Quandoquidẽ, ſint dona licet, ſtant cariùs æquo.
Forſitan & patrius rigor emolleſcere poſſit,
Si calido tantùm ſoluat mihi ſanguine pœnas.
Patrem ſæpè pium facit inclementia nati:
Nec meliore adamas emitur ſeu frangitur aſtu.
Vix ea; cùm ſaltu micat in conclaue reductum
Arduus, arcanæque domus adyta vltima luſtrat.
Hîc procul à turbâ, ſtrepituque volubilis aulæ,
Solus, & in ſolis penetralibus, armat inertem,
In ſua damna, manum: libet indulgere feroci
Pœnarum genio, clauſaſque in pectore curas
Demere ſuppliciis: neque enim meliora doloris
Lenimenta videt, quàm quæ dolor ipſe miniſtrat.
Nec mora, felicem tanto ſub pondere terram
Apprimit, & genuum ſubnixus mole recumbit.
Inde leues humeros, & terga niualia nudat,

Dulcè

Dulcè ferox: chlamydemque, & ſutile cycladis aurum
Dum rapit; Ite procul, quid ſpes inuoluitis? inquit,
Triſtes exuuiæ, victique miſerrima luxus,
Ite procul ſpolia: ipſe mihi viuacia texam
Velamenta, meoque tegam me ſanguinis oſtro.
Dixit, & attollit furibundam fulmine dextram.
Fulmen erat, rigidi chalybes, & flexile ferrum
In gyros, tenueſque implexis orbibus orbes;
Vnde aperit ſe cuſpis atrox, & aheneus vncus
Multiplici præfixus acu; ferale flagellum
Pectoris humani, ſed opus fabricantis Amoris;
Seque operi, liquefactaq; gaudia miſcuit auctor.
Exoritur bellum, cui Mars non viderit æquum.
Ipſe ſibi mouet arma pugil, ſibi detonat idem:
Qui petit, hic petitur; nec ab hoſte reciprocus hoſtis
Diſcrepat: eſt idem dator acceptorque malorum;
Idem ſe cruciat, nec abeſt victoria victo:
Atque inferre necem, capere eſt; & vincere, vinci.
Quid memorem crebros ictus, replicataque dorſo
Verbera? quid ſparſos miſeris vibicibus artus,
Inflictaſque cicatrices? iam corporis vnum
Vulnus erat, cœpitque neci decreſcere dorſum.
At pœnis Gonzaga inhians, magis inde reſurgit,
Vnde perit; vireſque animi dum diſſipat, auget:
Et quoniam, cui vibret adhuc noua fulmina, corpus
Non habet; ipſa graui iam vulnera cæde flagellat.
It roſeus latè ſanguis, pingitque decoro
Imbre pauimentū, rubefactaq; membra colorat.
Fugit ab innocuo natiuus corpore candor,
Purpura

Purpura ſola viget: credo, ad ſpectacula cædis,
Erubuêre niues, & ebur quoque ſanguine plorat.
Denique non alio meliora roſaria campo
Diuinus ſibi quærat Amor: nám ſidera cedunt.
Vidit ab ætherio ſpectatrix turba theatro
Sanguinis irrigui fluuios, doluitque, pyropos
Ire liqueſcentes, & hiantibus vndique venis,
Defluere ad terram ſtillata corallia Cælo.
Huc volat, & ſparſos, diuortia cara, liquores
Hinc atque inde legit: laceros pars recreat artus,
Oraque vulneribus, patefactaque labra reducit:
Pars liquidos denſat latices, fuſumque cruorem
Congelat; vtque liquor rutilum concreſcat in aurum,
Auroræ ſuccos, & viua coagula Solis
Infundit, roſeumque gelu inter ſidera portat.
Aſtra dedêre locum, puduitque à ſanguine vinci.
Aſt alij partem liquefacti roris in vrnam
Corripiunt, rigidique volant ante ora Parentis.
Forte ſoporato ducebat pectore ſomnos
Arcanâ procul æde Parens: quem ſedulus Ales
Protinus aggreditur; media inter viſcera dextram
Conijcit, eductumque imâ cor ab arce profundi
Pectoris, immergit calido ter ſanguine Nati,
Mollitumque diu, propriâ in ſtatione reponit.
Excuſſit ſomnos Patri liquor. Ilicet ardet,
Exercetque pios in Nati commoda ſenſus;
Quem ſubitò votis, & nomine donat IESV.

B. ALOYSIVS GONZAGA E SOCIET. IESV VICTOR INCENDIORVM ET FLVMINVM, DENIQVE IN OBEVNDIS CHRISTIANÆ CARITATIS OFFICIIS A MORTE SVPERATVR.

Epicedium ab Hieronymo Veroſpio dictum.

CARMEN XIII.

NOn ego mortales traducere temporis annos
Crediderim, aut veterum communi lege parentum
Viuere Aloyſium: Puero nam vita ſuperſtes
Sæpè reluctantis per mille pericula leti,
Oſtendit, ſæuis imperuia pectora fatis
Geſtare, & patrio maiores funere vires.
Immortalis erat, niſi tempeſtiuus honorem
Inuidiſſet Amor, qui, non temerata trahentem
Sæcula, furtiuæ voluit ſuccumbere Morti.
Nec ſe præterea iactabit vulnere quiſquam,
Diue; tuo; quamquam tibi Mulciber ignea geſſit
Prælia, & iratas armarunt flumina lymphas.
Fortè vehebatur patriis peregrinus ab oris
Quadrijugo Puer in curru; iam iamque citato
Longiùs à tergo fugientia liquerat arua:

Ecce tibi, ante alias, Inſubribus orbita campis
Intulit errantem, quà formoſiſſimus vndas
Eridano Ticinus alit, Regiqùe ſuperbo
Nobile currentum ducit vectigal aquarum.
Imbre graues humeros, & non tractabile dorſum
Extulerat fluuius, ſolitoque tumentior æſtu
Alta coërcebat ſpumantibus agmina labris
Montanæ niuis, & liquefactam velleris vdi
Canitiem, teneraſque, gelu ſoluente, ruinas.
Has inter tumidi ſtagnantes fluminis iras,
Lora gubernator ſubter laxata iugales
Exhortatur equos: illi, velut obijce rupto,
In medias rapiuntur aquas; tum naufragus axis
Scinditur, & totâ luxatus mole fatiſcit.
Proram, quæ vinclis implexa tenacibus hæret,
Quadrupedum rapit amne fides, & littore donat:
At viduum latus, & tenuis ſine remige puppis
Voluitur in præceps, & flumine ducta ſecundo,
Vorticibus fertur rapidis, ſimul ipſa morantem
Gonzagam (heu pietas!) in fata miſerrima portat;
Iamque propinquabat leto, cùm fraxinus ingens
Præcipiti delapſa vado ſuper aſtitit vndas.
Illam vel ſiluis populator abegerit imber,
Vel Superûm pietas; incerta eſt gratia facti.
Ceu Puerum amplexura ſinu, frondentia pandit
Brachia, ramorumque moras, vncoſque virentes,
Et centum veluti manibus tenet obuia currum.
Dixeris, aut ſenſu truncum placidoque potentem
Ingenio, aut ſenſum obſequio vitamque mereri.
Vſque adeò, Gonzaga, necem & mortalia ludis
Spicula: ſic Superis tua ſtat cuſtodia curæ.

Nec

Nec minùs intereà crudeli ex igne triumphum
Egit Aloyſius, quàm ſæuas vicerit vndas.
Integer ardentis per iniqua volumina flammæ
Conſtitit, & cæcum densâ ſub nube vaporem
Intrepidus, lateq́ue vndantia fata repreſſit.
Nox erat, & mediâ plus parte peregerat orbem,
Inſtratoq́ue Puer pia membra locauerat auro.
Olli cùm ſubit, immunem, oblitumq́ue precandi
Numinis effluxiſſe diem, nec ritè ſolutum
Vectigal Domino, cui ſe deuouerat olim.
Ilicet excuſſit ſomnum dolor: Ipſa reponant,
Quæ meruêre, inquit, iuſtas obliuia pœnas.
Vix ea, cùm lychnos, alimentaq́ue candida lucis
Expoſcit, reddiq́ue diem qui debita ſoluat.
Iamq́ue Deo pius indulget, iam mente tributum
Exequitur, quod voce præit; cùm rurſus inundat
Lene quieſcentes ſopor irreuocabilis artus,
Perq́ue oculos impunè vagus, per & ora iacentis
Spargitur, atque animi iam victor obambulat
arcem.
Intereà liquidæ nutrimina lactea flammæ
Deficiunt, iam cera teres decreſcit ab æſtu,
Tabeſcuntq́ue niues Apium, & ſua viſcera paſtus
Ardor, in externam furit inſatiabilis eſcam.
Nec mora, corripiunt ſubiecta cubilia peſtem:
Atque vbi teda fuit, iam nunc incendia ſurgunt;
Quoq́ue magis victor veſtigia promouet ignis,
Auget opes magis inde ſuas, & creſcit eundo.
Iamq́ue adeò Pueri latus inſuperabile turbo
Flammeus aggreditur, iam pectora proximus
audet
Lambere; cùm ſubitis perculſa timoribus horret
Flamma

Flamma vorax, reprimitque gradum, valloque vaporum
Seſe arcet vapor, & Puerum rogus ipſe tuetur,
Qui petit: obſequio permutat vota nocendi,
Fitque pius: ſacris iam vellet inurere plantis
Oſcula; ſed culpam nimiæ feritatis, & iræ,
Ipſa luit pietas; vt ferre nec oſcula poſſit,
Vulnera qui voluit: nam ſpõte retorquet inultam
In ſeſe rabiem vis ignea, ſeque reſorbet,
Et, medio quamuis in fomite, deficit æſtus.
Tantum adeò niuibus ceſſit puerilibus ardor,
Et nudum, rigidoque grauatum lumina ſomno
Fugit Aloyſium: quid, ſi vigilemque, ſuiſque
Armatum telis, in feruida bella vocaſſet?
Hanc ego, quæ votis ardentibus, ante Sepulcrum,
Diue, tibi ſemper famularis flamma perennat,
Crediderim æternum, deuicto ex igne, trophæum.
Viderat intrepidum per tanta pericula pectus
Inuida mors; & nacta metendi ſtaminis horam,
Extimuit, ne fruſtrà auidum diſtringeret enſem,
Et ſibi vel nigræ foret irrita pugna pudori.
Inueniam ſecura mihi certamina, dixit:
Et, quoniã in terris nihil eſt quo vincere poſſim;
Infera ſi nequeo, cæleſtia tela mouebo.
Hæc ſimul inquit, opẽ ſimul implorauit Amoris.
Annuit oranti, promiſſiſque addidit omen,
Vltorem ſe faſſus Amor: nec plura moratus
(Senſit enim victricem animam, maioraque fatis
Pectora, & inuidit, ne quis ſe fortior auras
Carperet, vtque necis, ſic & ſua frangeret arma)
Artibus vtendum eſt, inquit: quis in hoſte requirat
Aut in Amore, dolus vincátne an prælia virtus?

Vix

Vix ea; cùm volucres è Cælo liberat alas,
Secum multa mouens, & plenus ſorte futurâ,
Occupat Auſonios lepidiſſimus incola colles.
Tempore fortè illo trepidos miſerāda Quirites
Fata cruentabant, & nullo fine laborum
Per campos graſſata lues, Cereriſque malignæ
Turpis auaritia, & ſegetum decocta ſupellex
Multa Latinorum ſternebant corpora leto.
Vidiſſes, hominum viuâ ſub imagine, Mortem
Vmbraſque, & tenues, vix vllo corpore, vitas
Ire per attonitam miſeris pro ciuibus Vrbem.
Publica quin etiam longo conclauia tecto
Feta malis, Româ iam deficiente labori
Curantum vitia, & turpi ſub Morte cadentum.
Hoc delegit Amor bello fraudique theatrum.
Nec mora: Aloyſium ſtimulis ardentibus vrget
Triſte miniſterium moliri, atque ægra leuare
Corpora, præſentique iacentibus arte mederi.
Ipſe adeò illuſtres oculos & nobile frontis
Imperium obnubit; cæcum quis neſcit Amorem?
Non illi ambroſiis coma mollis odoribus halat,
Non rubor in vultu candorque reciprocus errat,
Non labris ſua forma, neque eſt ſua gratia formæ:
Fit miſer, inque ægrum mutato vertitur ore,
Omnia languēti ſimilis, faciemque, coloremque,
Atque oculos, ſenſim vicinâ in morte natantes.
Squalida pannoſo malè pectora condit amictu,
Nudus, inops, lacerique cadaueris argumentum.
Et tamen hæc ſubter ſpolia, & miſerabile corpus,
Exſultat (quis credat?) Amor: tegit aureus ora
Indeprenſa alijs, ſeque inter nubila condit
Lurida, Sol hominum; ſed & inter nubila lucet:

Sordi-

Sordibus horreſcit; ſed habent ſua præmia ſordes:
Eſt pallor, qui membra notat; ſed pallor Amoris.
Ergo agit, & cœtus miſerorum, horrentiaque inter
Agmina quærit opem, ſimulatque in pectore cladem.
Incidit huc (vt fortè per atria Mortis oberrans
Feruet Aloyſius) pretioſaque præda paratos
Incidit in caſſes. Vt primùm pallida membra,
Et dubium caput, & vergentem in funere vitam
Proſpicit; Huc, inquit, me me bonus allicit horror.
Ah! pereat, quiſquis fatum timet: vna, ſalutem
Deſperare, ſalus: Mors euitata fugaci,
Poplitibus gaudet, timidoque inſiſtere tergo.
Quamquam ô ſi reditum cæleſtis in atria Regis,
Peſtis atrox, ſed cara meo medicina dolori,
Acceleret; liceatque tamen, nil tale merenti,
Pulchram venari, per fœda cadauera, Mortem!
O mihi felices, ſi quos ea cura labores
Afferat! ô ſordes, quibus inſudare decorum eſt!
Hæc ait, & dicto citiùs languentia condit
Membra ſinu, laturus opem, & ſolatia vitæ;
Nec, cui tanta ferat vitæ ſolatia, nouit.
Si tamen exploret ſua gaudia, noſcere poſſit:
Sic animus ſeſe intus agit; ſentitque medullis
Neſcio quas præter ſolitum dulceſcere flammas.
Dumque hominem putat, amplexu quem ſtringit, Amorem
Sentit ab inſidijs fatalia tela parantem.
Scilicet obſequio mentitos dum fouet artus,
Dum moderator adeſt, lymphiſq; fidelibus omnẽ

Solatur maciem, caſtigatorque malorum
Sedulus, afflictis quærit medicamina rebus,
Labitur infelix; inque ipſum ſæua medentem
Erumpit clades, & inundat corde venenum.
Hîc Amor occultis Gonzagam ſauciat armis,
Hîc flammas, hîc tela rotat, dum proximus hæret.
Quoq; magis Iuuenem geminato fulminat ictu,
Allicit hoc magis: &, ſua vulnera rurſus amãtem,
Dulci clade petit, cui nulla medebitur ætas:
Non, qui vulnus Amor fecit, ferat ille ſalutem,
Nec finem videat, vel in ipſo funere, cædis.
Intereà teneros clades depaſcitur artus:
Languet Aloyſius; ſed in ægro corpore fulſit
Aurea vis animi, & claræ placidiſſima frontis
Maieſtas, riſusque ſereno fulgure maior.
Hæſit, ad hanc ſpeciem, comitum præſaga mali
mens:
Et mirata nouam languenti in ſidere lucem,
O quoties timuit, ne forma nitentior oris,
Inſuetumque iubar, fati præcurreret index.
Non aliter, quàm vicinæ prænuntia mortis
Eſſe ſibi fax viua ſolet, cùm clarius ardet,
Et præter ſolitum morituro fulgurat igne.
Quin & Aloyſius teneræ compendia vitæ,
Supremaſque vices, & proxima fata canebat,
Lætitiâ minor ipſe ſuâ; mœſtosque ſodales
Admonuit, veniſſe diem meliora vehentem
Sæcula, quem facilis ſibi præmonſtrauerat olim
Omnipotens, terris agitanti Inſubribus æuum.
O ego, ſi qualem Cæli ſcena ampla videndam
Olli ſe dedit, & quæ rerum arcana recluſit,
Expediam, & primâ cauſſas ab origine ducam!

Sunt geminæ Cæli portæ; quarum altera Solem
Vergit ad Eoum, ſemperque patentia tendit
Oſtia, quà viuax animarum exercitus exit
In terras, cùm ſeſe humano carcere claudit,
Primaque corporeæ venit ad commercia lucis.
Altera, quæ ſpectat morientem ianua Phœbum,
Rarior eſt aditu, centumque implexa catenis,
Æternoque adamante riget; nec aperta remoto
Poſte patet: niſi cùm Cæli ſacra limina poſcunt
Felices animæ, quas nulla piacula terrent,
Iamque adeò humanæ fugiunt hiberna paludis.
Pro foribus, tota ex auro micat interraſo
Bractea, litterulaſque ſuper ſine lege vagantes
Plurima gemma facit: ſed non diſtinguitur ordo,
Nec certi quidquam ſocialia grammata formant,
Nec coëunt in verba notæ, ſenſumque colorant,
Confuſique characteres lectoribus obſtant.
Nec ſperare licet, niſi Dia Pronœa figuras
Componat, relegatque typos, diſperſaque cogat
Symbola, & in verſum, quæ ſit ſententia, monſtret.
Sic manus artificis ſolers, quem plurima, ſecto
Teſſerulis pluteo, circumſtat littera, certis
Sparſa locis elementa legit, commiſſaque conflat
Nomina, perpetuùm victuris nomina chartis.
At Mortem perhibent ad læua hæc oſtia Cæli
Aduentare ſemel terrarum ex orbe quotannis;
Vt diſcat, quâ ſorte metat, quos inferat aſtris,
Quas Superi repetant abituras corpore vitas.
Fortè per æthereum cupidus Gonzaga theatrum
Mente vagabatur, quem formoſiſſimus Ales

Deuotuſque comes lateri, non nota præibat
In ſpatia, & Superûm ſpectacula ſumma docebat.
Ventum erat ad poſtes, & non ſuperabile vallum
Liminis æterni; vaga cùm veſtigia ſiſtit,
Atque oculis ſeruire gradum iubet æqua voluptas.
Hæret Aloyſius tantæ ad miracula molis,
Et totum miratur opus: iuuat ire per omnes
Gemmarum textus, & lambere ſingula viſu.
Sed captu nihil inſcriptis è ductibus haurit;
Tantùm apices ſummos, elementaque prima tuetur:
Omnes quamquam aditus iungendi ſymbola tentat;
Nil agit, & cæco non adſunt vota labori.
Intereà obtutu placidè defixus ab vno
Dum pendet Iuuenis, comitemque immobilis audit
Certa renarrantem ſuperi diſcrimina textus;
Protinus exclamat Ductor, Viden' eminus Vmbram
A tergo ingentem, falcatoque enſe minantem?
Illam vos vmbram, mortales, nomine Mortem
Dicitis; at nobis vitæ melioris origo eſt:
En volat huc, celerique petit nota oſtia greſſu.
Statque procul; neq; enim fas eſt accedere Cælo.
Vix ea fatus erat, cùm portæ prouida Cuſtos
Affuit, artificique manu diſperſa notarum
Schemata committens, atque in diuerſa trahentum
Gemmarum ductus, ſimulacraque neſcia ſenſus

Nexu

Nexu animans, ceu vermiculata emblemata for-
 met
Teſſerulis; facili paucorum nomina tractu
Exarat, è multis quos millibus æquus amauit
Omnipotens, viridiſque repoſcit ad Æthera vir-
 tus.
Ergo, dum titulos, alienaque fata ſecutus
Mente legit; dum noſſe cupit, quibus alea felix
Imminet; his tacitè gratatur, & inuidet illis:
Atque ita diuerſo curarum fluctuat æſtu.
Se quoque fatali deſcriptum vidit in auro
Gonzaga, & carum, cùm vix ſibi crederet, omen
Sæpè legit relegitque, nec vmquam nomina fal-
 lunt.
Tum verò comitem placidè complexus, An, in-
 quit,
Hæc me gemmarum ſeries notat? annuit ille,
Et Superis, ait, hic reducem te proferet annus.
Riſit Aloyſius, figenſque in imagine vultum,
O vtinam, dixit, non vana oracula reddat
Vitæ ſumma meæ. Nec plura exinde locutum
Deſeruit ſpecies, tenuemque effluxit in auram.
At non hæc Iuueni ſpes excidit: hæret in imo
Pectore fixa diu: quin, illo è tempore, fidens
Affore ſupremam ſignati funeris horam,
Arſit adhuc meliore rogo; Cæliquè fauorem
Excoluit meritis, & non ſua dona tueri
Sollicitus, tanto dignum ſe munere finxit.
Ergo, vbi iam, morbo moritura in viſcera lapſo,
Sentit adeſſe diem, nec falſæ illudere menti
Deſcriptum Cæli monſtrata per oſtia nomen,
Exſiliit gaudens; ac plenus morte futurâ,

Ardenti ſocios abiturus voce ſalutat:
Expedit amplexus, dicitque nouiſſima verba;
Ac ſolus, tot mœſta inter ſuſpiria, ridet,
In Cælum donec ter lumina ſuſtulit, ac ter
Demiſit, terque ora ſuo morientia Regi,
Pendenti admouit Regi, perque oſcula vitam
Reddidit, ac dulcè inflexâ ceruice quieuit.
Denique frontis honor, placidique modeſtia leti,
Et lepor, & charites, & gaudia miſta fatentur,
Non illum Mortis, ſed Amoris vulnere raptum.
Tu tamen æternos ducis placidiſſimus annos,
Securus, Gonzaga, necis, ſecurus Amoris:
Nec te prætereà rerum contagia terrent.
At nobis metuenda lues, annuſque minatur
Noxius: id nuper grauis inclementia Veris
Præmonuit, monuere graues è nubibus imbres,
Et Tybris vndanti motu tumefactus aquarum,
Iunctaque belligero Saturnia ſidera Marti.
Tu, precor, infauſtos aliò depelle timores;
Siſtere vim leti quondam, Româque vagantem
Mœſtitiam, atq; auidam ſolitus cõpeſcere cladem.
Hæ tibi ſint artes, Zephyros orare ſecundos,
Et lætas ſegetes, & amœnos aëris hauſtus,
Aſtraque tranquillo certatim innoxia Cælo.

VINCENTII GVINISII E SOC. IESV POESIS ELEGIACA.

CHRISTI DOMINI NASCENTIS AD VITAM NÆNIA

Ab Hieronymo Lomellino, Sem. Rom. Conuictore, dicta.

ELEGIA I.

NÆniolam canimus: procul, ô procul eſte loquaces:
Ad Domini cunas, Næniolam canimus.
Ite leues elegi, quò vos Amor imperat, & quò
Iret Amor; ſtabulo ſed procul eſſe nequit.
Scilicet extinctos hîc demum accendit ocellos:
Credite nunc Argum, qui modò cæcus erat.
Ergo, ſoluturus tanto pro munere grates,
Duritiem Pueri cœpit amare Puer:
In ſtipulâ iacet; & ſtipulâ dum pungitur artus,
Se putat in tenerâ corpus habere roſâ.
I te leues; vt eatis, Amor accommodat alas:
Ipſe in deliciis nunc iacet; ite leues.

Trans pelagi terræque vias, & limina mundi,
Trans Libyæ ſidus, molle patebit iter;
Quà primi primum Ver vitæ hauſêre Parentes,
Quod tamen, heu! mortis ſæua momordit hiems.
Hîc virides inter lucos, & amœna vireta,
Innocuos annos Nænia mitis agit:
Nænia, quæ mundi naſcentis origine, ſomnos
Dicitur ipſa hominum conciliaſſe Patri;
Officioque aſſueta pio meruiſſe perennes,
Quos numquam inficeret fœda ſenecta dies.
Nunc etiam placido portat ſua munera vultu,
Fert teneras, veluti nuper oborta, genas.
Nec ſenio violata, nec attenuantibus annis:
Et tamen eſt mundo pænè gemella ſeni.
Hanc elegi, precor, Eoïs in vallibus Eden
Quærite, nec merces vana laboris erit.
Inuentæ poſtquam licuit perferre ſalutem,
Dicite, Bethlemios læta frequentet agros:
Dicite, veloces certa ad miracula pennas
Excitet; his oris eſſe quod inuideat.
Dicite, Bethlemiis Cælum ipſum viuere terris,
Et medium in mediâ nocte latere diem.
At tu, magne Puer; magni Patris ampla propago,
Maior Matre Puer, nec Genitore minor:
Intereà, dum tranquillo tibi Nænia cantu
Ducitur, inuigila; mox propè ſomnus erit.
Inuigila: viden, vt tecum ſub arundine ſæua,
Et duro iacet in vimine durus Amor?
Nec te crede inopi, quamuis colludat, Amori.
Callidus eſt, artes diſſimulatque ſuas.

Fortior

Fortior eſt, cùm preſſus humi iacet: acriùs idem,
Parcentis ſpecie cùm iacit arma, ferit.
At venit, en placido venit excita Nænia vultu:
Excipe Næniolam, quæ tibi, Pupe, venit.
Tantum elegi potuêre, vt per ſpatia ampla viarum
Tam ſubitò aduehèrent hanc tibi Næniolam?
Mirarer, pennis niſi vecta volaſſet Amoris.
Et quem geſtat Amor, quàm leuis ille volat?
En venit, aureolo tibi poma gerens calathiſco
Nænia; brachiolis excipe poma, Puer.
Sed caue, ne teneris caue ſint tibi morſa labellis:
Aurea quin potiùs proiice poma, Puer.
Hæc eadem primos, heu! decepêre Parentes:
Quàm vereor, ne tu, quod meruêre, luas:
In te ne recidat Patrum maleſana voluptas,
Quàm metuo: nam cor tetra venena petunt;
Tuque cor es, mi Pupe, hominum. Caue, poma capeſſas
Aurea, ne peſtis te petat ante diem.
Quin age, Næniolam quando deduximus, audi:
Iam tandem ad voces ora diſerta mouet.
Vagitus compeſce leues, cantuque vocatus
Iungat ocellorum gemmea labra ſopor.
I procul, aura loquax; non hîc locus: i procul, aura:
Et, ſi cui fas eſt parcere, parce Deo.
Magne Puer, dormiſ? viden, vt ſub nocte ſilenti
Oppreſſus ſomno mundus vterque iacet?
At tu, mundi Oculus, vigilantes pandis ocellos:
Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.
Somnus adeſt: viden, vt teneras diuerberat alas?
Hac ſolet accendi, ſi riget, arte quies.

Non hîc errantes per iniqua ſilentia laruæ:
Dormi, funereo nullus ab hoſte timor.
Magne Puer, claudit geminus ſua lumina mũdus:
Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.
Diue, quis hîc tecum puer accubat? ô age, dormi:
Certè Amor eſt, dormi: ne videare, caue.
Quos puer hic pueros vigilantes occupat, illos
Non euitato vulnere durus agit.
Pupule, væ miſero! nimiùm vicinus Amori es:
Heu quantũ parua hæc dextera fulmen habet!
Neſcio quid mihi triſte canit præſaga mali mens:
Quàm timeo capiti, Diue Puelle, tuo.
Quãdo igitur claudit geminus ſua lumina mũdus,
Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.
Sed timeo tamen: hauſiſti, mihi crede, venenum:
Conſule cor, fati cor tibi teſtis erit.
Hauſiſti peſtem, lateat quæ tempore longo;
Sed tamen eſt peſtis, ſera ſit illa licet.
Erumpent olim medicati vulnera cordis:
Quodque diu latuit, creſcet in ora malum.
O quoties dixi, Caue, mi Puer, omnia, neu te
Naſcentem excipiat, qui nece gaudet, Amor.
Sagus Amor malus eſt; nudus, ſine voce, ſine armis:
Excantat ſolis nutibus, & perimit.
Creſce, Puer, creſcent ſæui argumenta doloris:
Creſcet in exiguo maxima corde lues.
Nunc geminis ſopor ex oculis tibi defluit; at tunc
Mille oculis poterit clauſus abire cruor:
Nunc lacrymis ploras; lacrymabere ſanguinis imbre:
Nunc gemmas, at tunc flumina rubra dabis.

Siccine

Siccine diffuſo liueſcent horrida tabo,
Quæ nunc innocuum membra colorat ebur?
Sic erit. Heu pronos, licet ad ſua funera, amãtes!
Tanti eſt nimirum, diſcere quid ſit Amor?
Sed quid ego hæc? viden, vt mundus ſua lumina claudit?
Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.
Claude oculos: quando hæc tempus portenta mouebit;
Tunc illi poterunt aduigilare ſatis.
Nunc dormi, Puer: inſomnes traducere noctes
Tunc liceat, cùm te fecerit hora virum.
Dormi; neu timeas tua credere membra ſopori:
Candidus eſt, placido quem trahis ore, ſopor:
In ſtipulâ ſomnus bonus eſt; ſimiliſque Puello,
Qui dormit: niuei pectora lactis habet.
At quem, Diue, trahes ſomnũ trabe fixus ab altâ,
Quàm niger, & nigræ concolor ille necis!
Sed nigri tandem poſt ferrea munera ſomni,
Aurea tranquilli luminis aura fluet:
Non erit illa diu tibi pompa nigerrima: cedent
Somnia: nocti aderit, nec mora longa, dies.
Sole nouo ſurges; ſoliq́ue ſimillimus idem;
Pulchrior hac ſpecie, quâ mihi, Diue, places.
Forſan & in tantum nigra dormitaſſe iuuabit
Somnia; ſi nigræ ſunt, candide, quæ tua ſunt.
Quin etiã in temet ſomnus niger albicat; & mors
In temet puras diſcit amare niues.
O age, quid ceſſas componere pectus Amori?
Eſt bonus ille puer, ventilet arma licet.
Quin bonus eſt, certo cùm vulnere vẽtilat arma:
Idem, cùm venas inficit, & bonus eſt.

Pande iterùm cordis penetralia, pungere ferro;
Non ſatis eſt vitæ ſpicula ferre ſemel.
Neu caue complexuſque leues, ictuſque ſeueros;
Melleus amplexus, mellea ſunt iacula.
Oſcula ſi dare plura velit; ne plura recuſes;
Vulnera ſi velit; & vulnera plura roges.
Sic Amor eſt: mortẽ ſi quando immiſit in hoſtem;
Vita fuit, licet hic crederet eſſe necem.
Nil ab Amore malum: librâ penſantur eâdem
Quæ mala nõ doctũ, quæ bona, vulgus habet.
Magne Puer, geminis claudit ſua lumina mũdus;
Claude tuas, mundi pulcher Ocelle, faces.
Sed dormit mea Vita; monet me ſomnus ad aurẽ:
Et video, & viſu gratulor ipſe meo.
O quæ de Puero præbet ſpectacula ſomnus!
Certè homines inter viuere cœpit Honor.
Aſpice; purpurei quàm candida gratia vultus!
Quàm ſeſe placido iactat in ore decor!
Maieſtas in ſede ſuâ eſt, lepor omnis ocellos
Obſidet, ætheriæ ſunt duo labra roſæ.
Vt ridet, riſuque beatiùs ora ſerenat!
Ipſæ, ſunt cæli flumina, lacrymulæ.
Ipſe Amor in ſtipulâ, obtutu defixus ab vno,
Miratur Pueri nobilis ingenium:
Dulce decus frontis, capitis crinale flagellum,
Et violam in molli parthenicenque genâ:
Liliaque, & teneris innata corallia malis,
Atque implexa ſuis pectora brachiolis.
Et videt, & ſeſe miratus denique vinci,
In Puero diſcit formæ elementa ſuæ.
Sic dormit vultu, vigilat ſed corde Puellus.
Quantus at es; totus, maxime Pupe, cor es.

S.IGNA-

S. IGNATII LOYOLÆ NOCTV SIDERA MEDITANTIS PROSOPOPOEIA

A N. N. dicta.

ELEGIA II.

NVnc age, ſidereos inter non vltimus ignes,
Ignati, Superos & tua Regna vides:
Optatas iam cernis opes ſecutus Amorum,
Iam ſine ſipario ſcena beata patet.
Extima rimaris nitidæ ſpectacula pompæ;
Has tamen excubias intimus hoſpes agis.
Cùm tuus humanos animaret ſpiritus artus,
Cælo aderas oculis, corpore fixus humo:
Aſtrorum ſpectator eras, ſpectabilis idem,
Excibas facibus ad pia bella faces.
Credo equidem victor; licuit tibi nempe ſuperbos
Cæli oculos oculis pænè hebetare tuis.
Nec tantum ardebas Cæli tu ſidera, quantum
In tua ſe Cælum ſidera condiderat.
Nondum nocturnis defeſſa laboribus aſtra,
Non deſiderio languida ſolis erant.
Integer errabat cæleſti exercitus aruo
Cinctus inexhauſtæ cyclade lucis adhuc.
Cælo erat, vt numquam, facies ſua. Nulla vaporum
Inuidia ætherias nube tegebat opes.

At Loyola animum ſomno ſopitus Amoris;
Hoc vnum excipias, cetera membra vigil;
Emicat, & gelidis ſua gaudia ventilat auris:
Quamquam auras æſtu pectoris ipſe fouet.
Gaudet in occurſum puri procedere Cæli,
Gaudet inaſpectus nocte ſilente frui.
Et fruitur, tacituſque diu tacita aſtra tuetur:
Quæque trahit tellus, otia mutus amat.
Sed quoniam plaudunt elementa tacentia votis,
Atque etiam venti, turba moleſta, ſilent;
Nec tamen vſque ſilet Cæli concentus: ab vno
Quippe meus vocis pondera ducit Olor.
Hinc cantum explorat, faciles ſic erudit aures;
Vt doceant ipſæ mox quoque corda loqui.
Hæc equidem, ſi tanta meis audacia cœptis,
Eruere ex vmbræ faucibus orſa velim.
Filia tu noctis, cui dicta tenerrima quondam
Obſeruare datum eſt auribus, Aura veni:
Te ſiquidē perhibent, ne candida ſenſa perirent,
Inter theſauros ſepoſuiſſe niuis:
Illa, precor, mihi ſenſa refer, vocemque diſerto
Imple animo: ex humili ſurgere verba decet.
Ergo flammigeros Ignatius hæſit in orbes,
Suſpexitque vagas, ſed ſine voce, faces:
Donec abundauit liquido de pectore ſenſus;
Et verba ipſius viſcera cordis erant.
O nullo ſuperanda malo tentoria ſolis,
Et formoſa oculis caſtra beata meis!
Cur ego non mereor veſtræ ſtipendia lucis?
Bella tamen geſſi ſæpè, nec vſque moror.
O ſi tela mihi, ſi ſpicula nulla fuiſſent,
Quàm quibus è Cælo vincis, amica phalanx!

Sed cur adſcribi ſuperis ſtationibus opto?
Non eſt conueniens ſordibus ille locus.
Sors mea quàm diſpar veſtræ? quàm ferrea torpet
Vita mihi, quamuis aurea vota feram?
Aurea ſunt, fateor; ſed habent à fine colorem,
Et pretium votis meta petita facit:
Nam de fonte trahunt momēta ſimillima fonti;
Et cor, votorum eſt vena, ſed ære fluit.
At veſtræ lucis eadem, quæ ſolis, origo;
Nec procul ex oculis huius abire licet.
Naſcimini aſpectu ſolis, ſpiratis eodem;
Atque hæc eſt vobis vita, videre Patrem.
Scilicet ille idem, qui vos generauit & auget,
Sol genuit, Sol & lacte nitoris alit.
Me procul à Patriâ, Genitoris ab vbere raptum,
Expoſitum triſtes ad Babylonis aquas;
Numquam oculos, numquam cari Patris ora videntem,
Damnatum exſilio barbarus orbis habet.
Et merui: neque enim pœnæ nunc deprecor omen;
Sed mea præ veſtro munere damna queror.
Hei mihi, quàm longè video mea gaudia! quantum
Diſtat ab ingrato carcere ſumma ſalus!
Non poſſum hæc inter terrarum hiberna morari,
Quin flammam à veſtro ſæpiùs igne petam.
Hîc ſemper Stygiis Aquilonibus edita, ſemper
Dura, vel in mediis æſtibus, horret hiems.
Hîc glaciem maleſuada creant incendia; quamquam,
Quæ poſſit glaciem ſoluere, flamma deeſt.

Hic

Hîc dolor aſſiduus, ſemperque reciproca flendi
Officia,& nullâ ſorte quietus Amor.
Hîc hoſtis telo furibundus & arte nocendi,
Si caueo, inſidias; ſi moror,arma mouet.
Nec mihi perfugium, niſi caſtra nitentia lucis:
Hoc etiam timidæ mentis aſylon abes.
Sic aït, & tacuit : nam verba occidit amaror;
Et de cæde velut ſanguis eunt lacrymæ.
Vellet plura loqui; ſucceſſu ſed caret vſus:
Credebat voces fundere ; luctus erat.
At ſoli fletus, quamquam ſine mente queruntur;
Viua tamen tacitæ munera mentis habent.
Iamque oculis lacrymas laxat,ſuſpiria cordi:
Cedit,dum regnat mentis in arce, dolor.
Iſta tamen non ſunt ſuſpiria muta; nec illæ
Sunt lacrymæ, & luces non niſi luce madent.
At, poſtquam requies ſingultibus, & ſua voci
Vita redit, ſuus & ſpiritus ora mouet;
Orſa redorditur,fixuſque in ſidera clamat:
Dum Cælum aſpicio, quàm mihi ſordet humus!
Mœret opum ſplendor,verè auri gratia pallet,
Sunt mera iam gemmæ pondera, liuet honor.
Ipſi camporum flores per gramina dicunt:
Nos Cæli florum nec leuis vmbra ſumus.
Vnde habet ingenuum Veris Regina ruborem;
Ni, quia præ ſuperis diſpudet eſſe Roſam ?
Vos immortales campis ſtellantibus horti,
Ah ! precor, in veſtrum me ſinite ire nemus.
Hîc, vbi perpetuos nitidæ facis vbere fetus
Educat orta diu, nec moritura dies.

Nec florum hæc ſoboles, quamquam latet, occidit
vnquam:
Hoc vno excepto, cetera Veris habet.
Cara ſeges, Domini pretioſa roſaria veſtri,
Captantiſque auram rura beata Dei:
Et flores Diuini inſcriptos nomina Solis
Solus habet, viuæ lucis alumnus, ager.
Nomina quid magni Solis loquor? ora volebam
Dicere; ſideribus ſcilicet auctor ineſt.
Eſtis, io, luces ſupremæ lucis imago:
In vobis quædam Numinis aura micat.
Et quiſquam mihi terreſtres obtrudat amores,
Dum meus in Cælo ſplendet & ardet Amor?
Ergo meam retinent lucis prætoria Vitam;
Ferreus eſt, humili quiſquis in orbe manet.
Surge anime: ah valeant luces, quæ ſidera non
ſunt:
Odi ego ſub Cælo lumina ſi qua nitent.
Quamquam & vos odi, ſoboles ô candida ſolis:
Parcite, quandoquidem nec meus eſtis Amor.
Quidquid Amor non eſt meus, & meus Arbiter,
odi:
Huius ſtillæ eſtis, non tamen Ipſe, faces.
Eſt aliquid veſtrâ niue purius, & face maius;
Prætereo riuos, ſi modò vena fluat.
At mihi vos Superûm vigiles, ne ſcena pateſcat
Intima, ſiparium ducitis ante oculos.
Et cæli chorus inuideat, mea ne bona norim?
Aurea vela mihi ſunt, ſed auara tamen.
Cur regio aſtrorum cùm ſit nitidiſſima, Cælum
Dicitur? ánne meas quòd mihi celat opes?

Tot tamen ipſa oculos aperit, quot ſidera pandit:
 Sic oculata ſibi, fit mihi cæca domus.
Pande, precor, nitidi ſtellantia carbaſa mundi,
 O Superûm Regis dulce ſatellitium.
Meme iſtis admitte adytis: aut ne mihi parce;
 Atque illo certum fulmen ab igne vibra.
Hæc ait: vtque aderat fixus, ſic conſtitit aſtris:
 At ſenſu pectus, labra ſonore carent.
Viuendi iam ſolus erat, qui non erat, index:
 Et ſignum vitæ vita negata dabat.
Vſque adeò immotus, motum tamen ore fatetur:
 Ipſi oculi extincti, viuere corda docent.
Quin etiam color, & rubicundæ gratia frontis
 Nominis alterius quàm necis omen erat.
Sic ſtetit attonito ſimilis, vitâque carenti;
 Numquam adeò vitam viſus habere magis.
Tantum etenim aſpectu lucis de luce trahebat,
 Vt vel ſideribus concolor ipſe foret.
Denique, cùm ſtellas veniens Aurora fugaret,
 Quod iam ſidus eras, tu quoque, Diue, lates.

B. STANISLAI KOSTKÆ SOC. IESV CÆLESTES DELICIÆ.

ELEGIA III.

Ætherij latices, liquidoque infuſa voluptas
Gurgite, & irriguo flumina læta Deo,
Huc agite, & iuueni veſtros aſpergite rores,
Cui non eſt terræ quælibet vnda ſatis.
Vritur, & validis ardent præcordia flammis:
Nec flammis imbrem, quo medeatur, habet.
Par eſt, cæleſti cui pectus inæſtuat igne;
Huic quoque cæleſtes auxilientur aquæ.
Denique ſidereis liquor eſt reuocandus ab aſtris:
Vt, venit vnde lues, inde medela fluat.
Iam Staniſlaus celeri pede mœnia liquit
Patria, conſtanti mente vir, ore puer.
Scilicet ipſe ſuis iam nunc maturior annis:
Credite, de puero nil niſi tempus agit.
Iam ſubigit Patrem certamine victor vtroque;
Seu nato illecebras, ſeu mouet ille minas.
Nam tu ſpernis opes, & ſpem ſuper. Vltima rerum
Linquitur hæc aliis, quæ tibi prima cadit.
Olli ergo humanæ ſpoliatum munere ſortis
In toto nuſquam corpore corpus erat.
Vſque adeò edomuit generoſus ſpiritus artus,
Et domitos genium iuſſit habere ſuum:

Quin

Quin raperet ſuperas tam puro in fomite flammas,
Cùm iam materies ignibus apta foret?
Fortè precaturus ſecreta per auia greſſum
Intulit; humano quæ loca teſte vacant.
Arbitrium procul omne cauet, niſi mobilis auræ,
Et puri herboſam, qui rigat, amnis, humum.
Ille genu in terram, poſuitque in ſidera vultum:
Nam ſuperas numen conſtitit ante fores.
Cui leuis ardentes ſimulabat flamma capillos,
Igneus excelsâ in fronte ſedebat apex:
Ardor erat vultus, geminæ duo lumina flammæ,
Flamma ſupercilium; cetera membra rogus.
Ipſa redundabat flammarum aſpergine cyclas.
Denique ſidereo totus in igne Deus.
Hæſit ad hanc ſpeciem iuuenis iam percitus œſtro:
Nam ſeſe calido flumine ſentit agi.
Nec tacet; acceptoſq; auget, dum ventilat æſtus:
Et quas corde faces parturit, ore parit.
O mare flammarum, atque ô viua incendia, dixit,
Ad quorum ardores feruidus ignis hebet.
O Calor à temet veniens, reuolubilis in te,
Et ſine partu oriens, & ſine fine fluens:
Semper inardeſcens numquam conſumeris; aut ſi
Appetis, ipſe tibi fomes; & ipſe fames.
A te numquam abiens, tamen omnia numine comples:
Te magis vt dones, te minùs vſque cares.
Inconſumptus Amor, conſumptor pectorum & auctor:
Nec meliùs quàm cùm conficis, illa creas.

Ignis

Ignis edax rerum, ſed non & noxius idem.
Noxia ſunt, ſi te corda nocente vacant.
Me precor abſumas, modò me tuus impleat ardor;
Ah noceas, modò cor deſinat eſſe nocens.
Aſpice, quàm rigidis horrent mea regna pruinis,
Immitemque animum quàm fera bruma tegit.
Et tamen intueor ſolem vndique, & vndique numen.
Heu! mihi ver extrà ducitur, intus hiems.
Vre hiemem, glacieſq; tuo manſueſcat ab æſtu:
Quando meum flammas diſcat amare gelu?
Solue niues, quaſcumque gero, niſi fortè pudicas:
His niuibus, ſancta ô flamma, fidelis eris.
Noſti illas, ſunt quippe tuis ex ignibus ortæ:
Has foueant ſemper, qui genuêre ſemel.
Hæc ſimul aiebat, ſimul ardeſcebat agendo,
Orator cauſsâ prouidus, arte ſagax.
Tum ſiluit, ſi quid ſiluit: ne quippe diſertum
Ore loquente magis, quàm reticente putes.
Ille repercuſſu flammarum flammeus hæſit,
Et ſenſim in ſimiles cœpit abire faces.
Non ſecùs igniuomos mediâ de nocte vapores
Feruida cùm fornax ore patente vomit;
Quiſquis adeſt procul, aſpectu ſi combibit ignes,
Cogitur aſpecto concolor eſſe rogo.
Sic puer ardores cæli dum ſuſpicit, ardet:
Nec quàm pectus adhuc æſtuet, ora negant.
Scintillant oculi, frons fulgurat, ebria flammis
Tempora ſunt, medio vultus in igne latet.
Nec ſolùm in faciem diuina allabitur æſtas;
Sed magis anguſto pectore clauſa furit.

Hic

Hîc ſtimulat ſeſe, & tamquam indignata teneri,
Tentat inæqualis rumpere claustra ſinus.
Iamque adeò Iuuenis flammâ eluctante laborat:
Quamquam, ſi neſcis, eſt amor, ille labor,
Æſtuat ardenti ſimilis, nec diſplicet æſtus:
Deperit atque ignem, quo magis igne perit.
Vltorem poſcit, quem nollet adeſſe precatur;
Mox piget, atque anceps optat, & odit opem.
Vſque adeò ſe palpat Amor iam ſaucius, & quæ
Horruit intactus vulnera, cæſus amat.
Venitura rogum & cordi factura ſalutem,
Vicino auxilium quærit ab amne manus,
Aſpergitque ſinum lymphis, gaudentibus vltrò
Ire verecundi cordis in obſequium:
Sed pia iam fruſtrà eſt, nil proficientibus vndis;
Maior ab ingeſtis flamma reſurgit aquis.
Ecquam ſperet opem leto, ſi peierat humor;
Perfida ſi facibus ſeruat & vnda fidem?
Vidit inextinctum Iuueni langueſcere pectus,
Æqua cohors Superûm commiſerata vicem:
Accurritque frequens, ſtudioque ornata medendi
Conſulit in medium, quâ leuet arte luem.
Naſcitur arcano Cæli de fonte voluptas,
Quæ Superûm iugi flumine prata rigat.
Hoc liquidum argentum, hæc cryſtalla fluentia portant,
Vt ſit inexhauſto par medicina malo.
Nec mora: flammatum Iuueni latus amne ſalubri
Irrorant: ſerpit corda per ima liquor;

Agnoſcitque faces, facibuſque agnoſcitur idem:
Iurgia nec ſecum cæli elementa gerunt.
Congelat vnda rogum, contrà rogus excoquit vndam:
Et placidum ſubitò fœdus vtrimque redit.
Inde quies Iuueni, qualem cæleſtia norunt
Pectora: conſumi neſcit, at ardet adhuc.

MARGARITÆ HISPANIARVM REGINÆ E VITA ABEVNTIS EPITAPHIVM

A Fr. Alexandro Coſtâ Equite Ieroſolymitano dictum.

ELEGIA IV.

SCilicet ad tumidæ ius intractabile mortis
Hæc etiam deerant irrita vota diu.
Non ſatis huic fuerat reſecare in ſtirpe triumphos,
Et ſuperinductis vertere funeribus:
Non ſatis audacem moliri in ſceptra bipennem,
Non regnatrices ſternere falce domos:
Maius in hoc vno meditatur funere funus;
Hoc amat, hæc Mortem palmâ ſuprema facit.
Nam bona, quæ ferro ſparſim violenta metebat,
Heu! didicit tandem cuncta ſecare ſimul.

Hoc

Hoc erat in votis, cùm ſe truculentior olim
Sueuerat in Regum ludificare caput:
Verterat huc animos:hæc;dum ſurgebat in ictum,
Meta ſecuturi vulneris vna fuit.
Euenêre. Iaces,heu! quondã Margaris? at nunc
Pectore de tanto nil niſi parua cinis.
Margaris,heu! magni felix modò nominis heres;
Nunc tamen,heu facinus! nominis vmbra tui.
Margaris,Heroum fortunatiſſima quondam
Cura; ſed,heu! poſthac cura futura magis.
Quæ ſupereſt Morti pugnacis gloria dextræ?
Certius hoc nullum vulnere vulnus erit.
Nil habuit quondam,quod poſſet viſere maius;
Nil modò,quod poſſit vincere,maius habet.
Diſſipat hîc vno ſplendorem nominis ictu,
Quem fera antiquos ſuxerat inter Auos.
Hîc rapit Eoas, quas congerit India, gemmas,
Maioreſque animi depopulatur opes.
Annorum florem violento demetit vngue,
Nec tenera in fructus creſcere vota ſinit.
Hîc ruit ætherio finita potentia Regno,
Et grauis Imperij conſcia ſumma cadit.
Ingenij vis illa cadit, Regum illa potentum
Apta miniſteriis mens operoſa fugit.
Hæc ſimul interitu Mors efferа diſſipat vno:
Sola ita multorum Margaris inſtar erat.
Vſque adeò vnius ſpeciem natura probauit,
Atque opere in tanto geſtijt vna legi.
Non tamen hinc cæcum reuocat Mors improba ferrum,
Sed magnum hoc,quantum eſt,Margaris, enſe metit.

Et quiſquam leges dabit & fomenta dolori,
Et liquidis oculos ire negabit aquis?
Ite, leues Elegi, terrarum dicite fletus;
Dum vobis flendi maxima cauſſa ſilet:
Dum vox Heſperiæ tacet,æternumque tacebit,
Intereà liquidi non taceant oculi:
Ni tamen, vt vocem, lacrymas ità congelat intus
Actus in anguſti pectoris ima dolor.
O dolor! ô luctus magna argumenta futuri,
Dum vehet Auſtriacas diues Iberus opes!
Quid iuuat ingentes in pocula cudere gemmas?
Quid iuuat auratâ condere lance dapes?
Quid iuuat exeſæ penetrare in viſcera terræ,
Et bona rimari quæ fouet illa ſinu?
Quin etiam greſſu infernas tentare latebras,
Et nulli tritam pænè aperire viam?
Vtque renideſcat digitis ardentibus aurum,
Tanto operi aſſuetas attenuare manus?
Quid iuuat extremos trahere in ſua iura Triones,
Et premere Eoas Occiduaſque plagas?
Et graue cum Phœbo diuiſum munus habere;
Aſpicere hunc, terras te regere imperio?
Non hæc ſunt volucris fati mora: miſſile telum
Mortis ſigna libens nobiliora ferit:
Hæc petit,hæc valido ſunt præda celerrima ferro;
Excelsâ hic Morti qui ſedet arce, placet.
Non illam croceo concharum tincta veneno
Veſtis ab auguſtâ dimouet vſque domo:
Non equitum peditúmve phalanx, aut fulminis inſtar
Quæ tonat ærato peſtis ahena tubo:

Regia non facies, non copia diuitis auri,
  Quæque animo ingentes accumulantur opes.
Diſſipat hæc vrbes, & ducta palatia Cælo,
  Vt facili anguſtos diruit arte lares :
Diffluit è fragili ſceptrum violabile dextrâ,
  Et cadit ex alto vertice ſummus apex :
Vos Regna Heſperio latè diffuſa theatro,
  Teſtis & Oceani littus Atlantiaci.
Teſtis, in anguſto vix tota incluſa feretro
  Margaris, & paruo condita ſub tumulo:
Quæ quondam è ſolio claris lucente pyropis
  Candida ſubiectis iura dabat populis:
Quam ſuper Oebalio ſplendebat dente lacunar,
  Atque pedes ſubter plurimus ibat onyx :
Curia quam circùm nutu pendebat ab vno,
  Cingebatque cohors obſequioſa latus :
Quâ ſine nil aderat, dici quod amabile poſſet,
  Quâ ſine non poterat candidus ire dies.
Nunc tamen occiduo dū condit lumina ſomno;
  Non condit luces ſola, nec vna perit :
Accedunt pariter geminatæ fœdera mortis,
  Inque vno extinctos accipit vrna duos :
Accipit Heroëm mors hæc communis vtrumque,
  Inque ſuâ rapiunt Coniuge fata Virum.
Et quiſquam ſperet Libitinæ illudere? quiſquam
  Speret inexhauſtam fallere poſſe necem?
Quis non funeſtæ dabit obtruncanda ſecuri
  Colla? quis hoc cenſu prætereundus erit?
Si Regum auguſtas petit imperterrita turres;
  Anne reformidet Mors violenta caſas?
Sic ſolet æquoreæ ſcrutator conſcius vndæ,
  Quà natat Eoo plurima concha mari.

Nem-

Nempe, ſerenato dum ponunt flamina ponto,
  Multa fluentiſonas cochlea verrit aquas:
Cochlea diues opum, quâ nil præſtantius vſquam
  Attrahere ignotas ad ſua furta manus:
Imbricis intorti ſalebroſo tegmine viuit,
  Diuitis & paruo turbinis orbe latet:
Cui ſtria criſpato percurrit plurima dorſo,
  Atque iterùm in ſeſe reticulata redit:
In caput exiguus ſpirarum circuit ordo,
  Tortilis & ſummo in vertice creſcit apex:
Seſe in mucronem conchylis cauda ſupinat,
  Intus in oblongam conduplicata tubam.
Non tamen his animis ſpecies eſt corporis vna;
  Eſt, formæ pretium quæ præeuntis habet.
Pulchrior hæc conchas facie ſupereminet omnes,
  Præſtat vt aſtrorum regia Luna choro:
Concha præit princeps, & curſu tendit in altum;
  Et præit & ſequitur cetera turba Ducem:
Velificant pelago celeres, ſeſeque carinant,
  Opponuntque vagis concaua membra Notis.
Si fortè in caſſes veniat Regina natantum;
  In toto caſſes æquore nulla fugit.
En rapidæ laqueo Mortis captiua tenetur
  Margaris, auguſtum cui ſtetit imperium.
Et quiſquam caueat venantis retia Leti?
  O age, funeſtas, Mors fera, pande plagas.
Ergo,quandoquidem magnis vita excidit auſis;
  Huic famula,Heroum more, parentet humus.
Inſtrue tu mœſtam viuax Elegeïa pompam,
  Affer inextinctas ad pia buſta faces:
Suggere tu lacrymas lacrymoſa ad iuſtâ petenti,
  Erige funeream flebilis ipſa pyram.

 I,pete

I, pete gemmato productum vertice templum,
Quà celebri cultus mole ſuperbit honor:
Extinctæ modò cultus honor, quē ſæpè ſolebat
Per mille exceptum fortia facta ſequi.
Hîc placet illuſtrem ſingultibus Heroïnam
Plangere, dum cineri redditur illa ſuo:
Quare age, funeſto cingantur mœnia luctu,
Candidus ex illâ defluat arce color:
Surgat in auguſtâ lacrymabilis æde cupreſſus,
Omnia luctifico ſint operata rogo:
Explicet accenſum mœſtis funalibus agmen
Plurima lugubri tibia rauca ſono.
Hîc Procerum trabeata manus, grauiorque Senatus,
Longa phalanx Equitū, denſa corona Ducum.
Nec Matrona procul, luctus imitata Virorum;
Quæ maius tanto in funere nomen habet.
Occupet hîc agmen Natorum regius ordo,
Qui magni poſthac agminis inſtar erunt:
Non minus Infantes annis, quā nomine, ducunt
Principium vitæ, ſed documenta necis:
Vix Matrem nouere priùs, quàm funera Matris;
Denatâ, natos ſe, Genitrice vocant.
Quorum aliquem vt peperit Genitrix, vitam ipſa reliquit:
Sic tota in nato maluit eſſe Parens.
Indolis ô quantæ ſtirpem! quæ germine paruo
Nunc viret; at decorum tollet in aſtra nemus:
Pectoris immenſi ſoboles & pectoris heres:
Cui licuit caro delituiſſe ſinu;
Et dare materno regalia brachia collo,
Atque inter riſus dicere, Mater aue.

Nunc

Nunc in Matre cadunt, ſed viuit Mater in illis:
Horum mors, dolor; & vita Parentis, amor.
Aſpicis, vt tenero procul errat ab ore Voluptas,
Mœror & in tenerâ fronte virilis agit?
Sponte ſuâ lacrymæ nullo poſcente liqueſcunt;
Non intus mœrent corda, ſed ora tument.
Naturæ, non mentis opus ſunt denique fletus:
Ignorant, quæ ſit cauſſa, ſed vſque dolent.
Imò nec aduertunt, quid ſit dolor, & tamen horrent:
Dumque dolent, iuſti forma doloris abeſt.
Denique non adeò, quid ſit lacrymabile, norunt,
In quibus eſt ætas ad ſua damna rudis.
Horum igitur famulo ſubeant veſtigia greſſu
Regna, nec ad mœſtam tædeat ire pyram;
Regna, quibus magno cum Coniuge Regia Coniux
Margaris imperij iura verenda dabat:
Suſpenſas quotcumque altis haſtilibus vrbes,
Oppidaque ad titulos conſpicienda trahat.
Cantabria ante omnes ſeſe vehat ardua vultu,
Cui teretes tollant mœnia multa ſudes.
Explicet inde gradus genitrix Aragonia Regum,
Et ſtipata ſuis vrbibus agmen agat.
Cæſaris Auguſti tellus flaueſcat in auro,
Oſcaque, Sertorij cæde cruentus ager.
Nec procul ingentes auguſtæ Bilbilis arces,
Quas Salo mentitis cingat ahenus aquis.
Inde ſecuturos glomeret Catalaunia greſſus,
Et pullo mœſtam ſyrmate verrat humum:
Quam circum auratas ſuſtollat in aëre turres
Barcino, & irriguis diues Ilerda vadis.

Ficta ſit, at veros imitetur Tarraco muros;
Tarraco, Scipiadæ quam coluêre Duces.
Augeat inceſſu celebrem Gallæcia pompam,
Quæque ſuum niueis nomen inuſſit equis.
Hîc celſam attollat formoſa Valentia frontem,
Murciaque, & pingui ſparſa Granata ſolo.
Nec procul abſtineat longos Bethuria tractus,
Nec Tarteſſiacus quæ loca Bætis arat.
Quidquid Atlanteâ protenditur Amphitrite,
Et Luſitano regna ſuperba ſalo:
Regna, quibus pluuio collapſa Ceraunia Cælo
Imperat, innocuas fulminis eſſe faces.
Abditaque extremo tellus Malabarica mundo,
Conſitaque in medio Goa vetuſta mari.
Tu quoque gemmatis Peruuia diues arenis
Hîc eris, atque auro ſculpta ferêre tuo.
Vtque adſit, poſitâ feritate, Braſilia viuo
Corpora cæſorum linquet in igne virûm.
Non deſit medio quæ torrida ſubiacet axi,
Sparſa Philippinis Inſula multa plagis.
Nec procul, innati dederunt cui nomina flores,
Funere ab Auguſto terra Quitenſis erit.
Tyrrheniquе maris Regina Neapolis adſit,
Sirenaſque ſuas ad pia buſta vehat.
Linquat inexhauſtos opulenta Inſubria campos,
Et pelagi clauſtrum, Trinacris ora, Pharon.
Singula quid memorē? reliquis iam rebus abũdat,
Auſtriacum numero ſed caret imperium.
Summa ſequar. Caſtella ſuas ferat vtraque ſedes,
Vltima, cenſendi lege, dolore prior.
Hic placidi colles, & Oleti mœnia Vallis
Regum erat; at Veris Regia ſemper erit:

Seu tu grande forum Sophiæ Salmantica, ſeu tu
Complutum, ſimili merce beata domus;
Et Toletano Romana Colonia cliuo,
Quam ſuus aurato circuit amne Tagus.
Carpetana mihi claudat iam Mantua pompam,
Ceteraque hic ſupra fercula creſcat apex.
Quandoquidem reliquas tantum ſupereminet vrbes,
Quantum alias vicit Margaris ipſa Nurus.
Margaris hoc vrbi pretium dedit, ipſa trahendo
Vitales auras, nomina clara tulit.
Scilicet hoc cælo felix ea vita vigebat,
Inde fouebatur ſpiritus ille vigil.
Ecqua ſit hæc tellus, quæ tanti in pectoris vſum
Viuaces Zephyros gignere digna fuit?
Atque vtinam hanc numquam fœdaſſet funere famam;
Quæque dedit vitam, non daret illa necem!
Tu tamen, Vrbs, puros inſtillas aëris hauſtus,
Viuendique diu ſemen ab axe trahis;
Aucta ſecundantum ventorum mitibus auris,
Et fortunatis ſubdita ſideribus.
Auſtriaci quondam Imperij Germanicus ardor
Carolus, extinctis viribus, æger erat:
Vtque tuas venit ſpe tantùm firmus in oras;
Auſpice te, ſubijt regia membra ſalus.
Idem vtinam tua veniſſet in mœnia rurſum,
Imperij poſtquam grande reliquit onus!
Forſitan ægra tuo ſub cælo membra leuaſſet,
Nec caſum Heſperij fleſſet Atlantis humus.
Nunc in te moritur Princeps tua. Téne ſalubri
Siſtere conſilio nòn potuiſſe necem?

Quare age, regificum comitare, ſed aurea,funus,
Tuque in te verâ fictilis eſſe velis.
Hæc meritis inflicta venit tibi pœna,quòd in te
Reginam extingui ſiueris ipſa tuam:
Eius vt ad pompam, licet in te pompa feratur,
Non te fama, tui ſed ſimulacra ferat.
Denique ſuccedant maiorum inſignia Regum,
Margaris vnde trahit nobilitatis opes.
Longa retrò ſeries, & cenſu copia maior,
Fumoſis funus ſplendet imaginibus.
Ergo, antiqua licet, ſpiret fulgore recenti
Virtus, Rudolphum quæ dedit Imperio:
Qui, quoniam Domino ſe præbuit ipſe minorem;
Idcircò meruit Maximus eſſe Ducum.
Ordine mox ineat propior, vt ſanguine, Victor
Albertus, namque hoc nominis omen habet:
Qui Marte exarſit biſſeno in prælia, palmam
In ſua biſſeno mœnia Marte tulit.
Inde procuratis acer Leopoldus in armis,
Inque hoſtes veniat ſanguinolentus Otho.
Nec tu prætereas plenus, Friderice, triumphis;
Cui tua venturos facta tulêre dies.
Hîc adſit, qui bacchantes in ſceptra colonos
Reppulit in patrios Maximianus agros.
Carolus hîc,tumidum qui cùm traiecerit Albim,
Saxonis inuictâ contudit arte minas:
Ceteraque Heroum ſeries numerantibus impar,
Ad quorum titulos Auſtria tonſa iacet.
Sed quis in hac pompâ locus, & quæ iura Philippo?
Nunc ego te carâ in Coniuge deſtituo:

Hanc

Hanc tibi iam dederat ſedem Dolor : imò age, ſedem
  Hanc tibi iam dederat cauſſa Doloris Amor.
Fruſtrà opus aggreditur qui te quæſiuerit extrà :
  Hîc age cognati funeris exſequias.
Et, quamuis mœſto dicaris in agmine viſus ;
  Si neſcis, animus exſulat inde tuus:
Exſulat, & mediâ viuax in Morte quieſcit;
  Nam, quòd amas, licet in funere, viuis adhuc.
Seu potiùs moreris, vitamque hac lege tueris,
  Viuere ſi fortè hanc poſſit adempta Nurus.
Sed tamen, heu duri genus inſuperabile fati!
  Falſa ſibi verùs ſomnia fingit Amor.
Somnia ſunt: primâ ſed reddita ſomnia nocte,
  Qualia de niueo limine mittit ebur.
Scilicet in rigidam preſſiſti lumina mortem,
  Margaris excelſæ conſtituenda pyræ.
Hîc, vbi ſublimi iaceas reſupina feretro,
  Regiaque accenſus exuat ora cinis :
Sed procul ex altis Fama huc accita cauernis
  Eripiet cupido fortia facta rogo :
Et, poſtquam fuerint depaſtæ viſcera flammæ,
  Seliget ambuſto è corpore relliquias :
Membraq; candentes dudum cinefacta per ignes
  Conteget auguſti marmoris in gremio :
Artificique addet viuacia carmina dextrâ,
  Carmina mortali non abolenda die:
Quem premis, haud tumulum, ſed concham crede, Viator ;
  Abdita, ſi quæras, Margaris intus agit.

P. CÆSARI LAVRENTIO E SOC. IESV DVM IN RHETORICA DOCENDA COLLEGAM AGERET, DIEM VLTIMVM OBEVNTI, THRENODIA

Ab Auctore dicta.

ELEGIA V.

EN iterùm in lacrymas. O multiplicata dolorum
Ilias! ô nullo ſors inhibenda malo!
Credo, vides ſterilem ingenij mihi currere venam;
Argumenta ideò fertiliora paras.
Norma querelarum, præceptrix horrida luctus,
Et non diſcendæ ſæua magiſtra necis,
Sors, fuga fatorum, Sors voce ſimillima Morti;
Quæ ne Mors eſſes, littera ſola facit.
Debueras vnâ ſaturari cæde: quid auges
Materiem, toties in mea damna ferax?
Fleuimus extinctum Mutinenſem nuper ad vrbem
Stephonium, nec adhuc lumina rore carent:
En iterùm in lacrymas: flemus tua funera, Cæſar,
Par qui Stephonio progrederére comes:

Sed

Sed vitæ comes: alterutrum facit alter acerbum,
Viuere longæuos dignus vterque dies.
Intereà grati dum ſoluit amoris amaror
Neſcio quod mœſti pectoris officium;
Huc ades, ô Cæſar: ſint hæc mœſtiſſima quáuis,
Accipe: vox etenim corda loquentis habet.
Non amat ingenium mihi Mœror, abominor artem:
Veriùs ille dolet, qui ſine lege dolet.
Mœrentem confuſa decent: ſunt verba Dolori,
Sed quæ percipiat verba nec ipſe Dolor.
Hunc ſequor: hic meus eſt anni fatalis Apollo:
Et mihi iam Parca eſt, Muſa quod antè fuit.
Lux aderat, quæ Palladio viſenda theatro,
Magna Subalpini Principis ora dedit:
Cùm feſto paries modulari carmina vultu
Viſus, & ad laudes pectus habere lapis:
Has inter Charites & amabilis otia pacis,
Quis credat rigidis febribus eſſe locum?
Et tamen, heu facinus! Morbi Mortisq; ſatelles,
Ignea vis, tacitos huc tulit vſque pedes.
Ipſa quoq; hoc voluit, mala Ludia, ludere Circo:
O mala, ſi benè vis ludere, quære parem.
Non tibi conueniunt viuacia robora; non te
Cæſaris ille decet, Cæſare dignus, honor.
Ille color vultus, oris vigor ille, latentis
Ille animi, placidâ in fronte notatus, apex:
Non tua ſunt Mortis, ſed Vitæ culta ſupellex:
Inter inæquales luſus honore caret.
Tam decori macies, quàm ferro diſcrepat aurum:
I, confer rigidis arma cadaueribus.

Illa tamen mala ſaga, volatilis vmbra malorum,
Ridet, & obducta reſpuit aure preces:
Quin potius gaudet meliori inſiſtere tergo,
Et de præſtanti robore palma placet.
Si plus humani, Cæſar, tua vita tuliſſet,
Leto arriſiſſet forſitan illa minus;
Sed te conſpicuum reliquis ex omnibus vnum,
Viribus & firmis perfida vidit anus:
Vidit, & inuidit; validoſque amplexa lacertos,
Eluctaturas expedit arte manus:
Et licet exſanguis vix oſſibus hæreat, (aſtum
Quis neget, & benè pro viribus eſſe dolos?)
Vtitur his, quibus illa valet. Nil tale verentem
Vno ſupplantat ſat pede nixa virum;
Affligitque, ictuſque repercutit: ille, priuſquam
Se pugnaſſe putet, iam cecidiſſe videt.
Scilicet, affixus languentia membra cubili,
Tam citò fit cæſus, qui modò Cæſar erat?
Ventum eſt ad dubiæ ſuprema crepuſcula vitæ,
Aureaque in mortem cœpit abire dies.
Hîc malè crudeſcit malè confirmata cicatrix,
Et retractati vulneris ora patent.
Quis mihi tunc fuit extincto ſub pectore ſenſus,
(Si quis tum ſenſus viſus adeſſe mihi eſt)
Ars cùm victa manus dedit, & ſpem luſit amantum,
Et ferre vlteriùs poſſe negauit opem?
Teſtabar vultu, premerem quem corde dolorem:
Inque leues mea iam vita fluebat aquas.
Quid facerem, ſi me raperet ſua pignora ſecum
Altera pars animi dimidiumque mei?

Flere licebat, opem quia non afferre licebat:
Dextra ope, ſed lacrymis non caruêre genæ.
Quòd ſi vmquam caruêre; fuit, quia quos Dolor imbres
Fuderat, hos ipſo in fonte gelabat Amor.
Nec tacitos oculos fecit penuria flendi,
Credite, ſed luctus mœſtitiæque gelu.
Tranquillos vultus & lumina ſicca gerebat
Solus qui noſtri cauſſa doloris erat.
Ille quidem poſuit peracerbo in funere vitam;
Sed docuit, fortes quâ decet arte mori.
O quoties pia vicini ſolatia leti
Optauit, longæ præſidiumque viæ!
Iamq; auido non tam vultus quàm pectoris ore
Libauit niueæ frugis in orbe Deum:
Quas animi flammas, & amantibus edita flammis
Cæſar ab innocuo pectore vota dedit?
Quàm teneras fudit, per ſenſa nouiſſima, voces,
Vltima quæ noſtro verba repoſta ſinu?
O ego, ſenſa velut memini, ſic verba tenerem!
O mea quanti eſſes lingua miniſtra boni!
Nondum plenus erat languentis imagine fati,
Cœperat aut vocem deſtituiſſe vigor;
Cùm ſtetit, & caros ſupremùm affatus amicos;
Qui fuerat vitæ, fit quoque mortis Olor:
Atque ait: En morior. Cui numquam anteacta pudori
Vita fuit, neque mors huic metuenda venit.
Quamquam nec morior: quid enim ſit viuere, ſi quod
Intereà experior, dicitis eſſe mori?

Numquam ego ſic vixi, melior dum vita maneret;
Dumque dies agerem, ſic periiſſe velim.
In vitâ mortem toleraui, in funere vitam:
Viuere nam ſemel hoc, illud obire diu eſt.
Quòd ſi fortè iuuat, quàm nunc fero, dicere Mortem:
Viue diu fœlix, vt moriare ſemel.
Mergor inaſſuetâ liquidæ dulcedine mentis,
Nec ſeſe magni pectoris vrna capit.
Eſſe quid hoc dicam? video mihi ſurgere funus,
Sed mœſti pompam funeris eſſe procul.
Non mouet antiquos animus ſibi conſcius annos,
Nec fingit, quod non fecerit antè, nefas.
Si qua recordanti malefacta priora vetuſtas
Obiiciat, Dolor hæc eſſe ſepulta monet.
Aſſidet ille comes morienti, hoc munere tantùm,
Vt ſit gaudendi cauſſa vel ipſe Dolor:
Quin neque me rerum euentus, metuenſq; futuri
Cura, propinquantis nec mouet ira mali.
Quidquid id eſt, Iudex meus eſt Amor: ille tribunal
Iudicis, ille rei pectus amantis habet.
Ille gerit fulmen, qui fulmine vulnera placat:
Non timeo, niſi quis crimen amaſſe putet.
O vigor! ô Deus! ô animi liquidiſſimus ardor!
Et potui hoc mortis promeruiſſe genus?
Credo equidem ſeſe poſtrema in fata reſeruat,
Atque in delicias vſque trucidat Amor.
At vos, ô cari, mea maxima cura, ſodales,
Deſinite in lacrymis quærere velle fidem.

Viuite

Viuite vos quibus eſt viuendi gratia, Virtus:
  Viuite, ſed memores, tempora longa, mei.
Quòd ſi nulla tenent Superos obliuia rerum ;
  Semper inexhauſtâ vos ego mente geram.
Vix ea; cùm dulci recreatus munere vocis,
  Plus cœpit vitæ, mortis habere minus.
Tempore iam ex illo Superi meliora ferebant;
  Velle videbatur vertere terga malum.
Iam voci ſua vita, vigor ſuus additus ori eſt,
  Sopibatque oculos ſemper amœna quies.
Credula res Amor eſt, & ego quoque credulus illi:
  Quàm citò compreſſit ſpes rediuiua metum!
Lætitiæ quæ ſigna dedi, quæ gaudia finxi?
  Dicebam, Cæſar ſit benè, ſoſpes eris.
Soſpes eris, lætâ repetebant voce ſodales:
  Tanti conſtabas omnibus vna ſalus.
Non ſecùs antiquam tenuit fiducia Romam,
  Cæſaris alterius cùm lacrymata necem eſt.
Et liceat paruis componere magna; ſed ingens
  Hæc iactura boni non mihi parua venit.
Iam procul occiderat domito Germanicus Iſtro,
  Fatorumque reus, victor vbi antè, fuit.
Delicias tum Roma breues, & Principis vmbram,
  Facta, querebatur, Principis vmbra ſui.
Vrbs gemit, & pullo mutatur purpura panno,
  Iura ſilent, ſordet Curia, Templa vacant.
Ecce tibi medio veniens in funere, factum
  Fama renarrabat, viuere faſſa Ducem:
Auſpiciis pia Roma fidem melioribus implet:
  Quodque magis vellet, verius eſſe putat.

Lætitiæ dat ſigna nouæ, gaudetque recepto
Principe; lætitiæ ſed breuis aura nouæ eſt.
Sponte ſuâ rurſus ſpes occidit orta ſalutis:
Et qui plus gaudet, non dolet ille minùs.
Nos quoque vitali pro Cæſare duximus omen,
Et fore ſperabat vel Timor ipſe bonum.
Non Spes illa fuit, ſed, quæ ſperantibus obſtat,
Mors nigra, Mors placidæ Virginis ora tulit.
Spem ſimulauit atrox, ſubiit faciemque coloremque:
Abiicitur Mortis forma, ſed arma manent.
Scilicet, vt nobis duplex dolor eſſet: at illi,
Bis velut erepto Cæſare, palma duplex.
Iamque adeò confeſſa minas, tractabile ferrum
Expedit, & rigido ſpem priùs enſe necat:
Illa fuit pugnæ proluſio: deinde iacentem
Inſilit, & cæco vulnere Cæſar hiat:
Vulnere, quo Cæſar: ſatis eſt. Ne cetera dicam,
Furatur tacitus verba ſecuta Dolor.
Et tamen, æternùm voluit te viuere Virtus;
Cùm tibi, quod vitæ defuit, illa dedit.
Cæſar eras; fatum potuiſſes vincere: nec tu
Debueras cædi fulmine; laurus eras.
Vt mihi triſtè iaces! multis tu flebile nomen,
Nulli flebilius quàm mihi nomen habes.
Multos illa tuæ rapuit clementia formæ,
Et non turbati pectoris ille nitor:
Comis amabilitas, facilis reuerentia vultus,
Semper & in placidâ fronte modeſtus honor:
Eloquij

Eloquij grauitas in tempore: gratia linguæ
Multa, ioci faciles, ingenuique ſales:
Ille iuuandi ardor,ſtudium ſine fraude merendi;
Et ſibi, quàm reliquis, mens nocitura priùs:
Conſilio deuota manus; prudentia falli
Neſcia, nec docilis fallere ſimplicitas:
Relligio, Pietas, recti tenor, ardor honeſti,
Cura locuturi pectoris ante Deum:
Hic animi vigor, hæc cæleſtis filia fontis
Quot tibi molliuit pectora, vena boni?
Adde, quòd ingenij virtus non moribus impar.
In te communis ſemen amoris erat.
Audierat te Roma diu, mirata loquentem:
(Nec paruum, Romæ quod placet,eſſe ſolet.)
Seu tu Gregorium raperes è faucibus æui,
Et faceres Magni viuere facta Senis:
Palladis aut inter præludia prima, doceres,
Quanta ſit à Græcis fama paranda notis:
In noua ſeu caneres mutatas corpora formas,
Corpora, quæ ſacrum verſa volumen habet.
Quòd niſi te rurſus tua viuere fata negarent;
Tu tibi materies carminis æqua fores.
Verſa tibi facies: quantum mutatus ab illo
Cæſare! quàm varias induis ore vices!
Tam citò robuſtum decus irreparabile ſordet?
Et fieri informis tam citò forma poteſt?
Mutatas numquam meminiſſes voce figuras:
Effera, ſi neſcis, Mors quoque carmen arat.
Ipſa quoque inuerſos inimica Poëtria vultus
Et canit, & vertens ora, canenda facit.
A te materiem didicit modò carminis, à te
Carminis exemplum cœpit habere ſui.

Mors fera, cui carmen funus, cui perfida præbet
Atramenta cruor, cui ſtylus enſis adeſt;
Cæſare ſi tantùm delectabare, gemellus
Cæſaris, & dempto nomine Cæſar eram.
In vitæ campo gradibus properauimus æquis,
In Cælum cur me præuolet ille prior?
Fœdus amicitiæ duo pectora fecerat vnum:
Quin & Relligio fecerat vna pares:
Pallas & vna pares voluit, par denique vita;
Par, niſi quòd vitâ dignior ille fuit.
Qui te dixerunt oculis & lumine captam:
Certè dixerunt quod tua facta probant.
Et tenebris gaudes, oculorum & munera celas;
Cæca vocaris anus, dum mea damna vides.
Cæca oculos, & cæca animam leuis vmbra nocentum,
Cæca profanatas, & ſine mente, manus.
Mors fera, crede mihi, niſi tu modò cæca fuiſſes;
Nunc equidem tibi pro Cæſare præda forem.
Et poteras contenta meo, licet impare, fato,
Tam mala, tam multis parcere Parca bonis.
Et noſtrâ poteras laudem pro morte mereri:
Nunc verò ſcelus eſt, mortuus ille, tuum.
Iamque ego, pectus iners, & inutile pondus, habebam
Nomina vix vitæ, cetera Mortis erant.
En vocat hæc vultus meſſis iam pallida falcem:
Hic in fronte cinis quid niſi funus olet?
Nónne vides medium vitæque neciſque cadauer?
Membraque pars animi, quantulacumque regit?

Scilicet

Scilicet huius erat iactura facillima vitæ:
Quæ, ſit vita licet, plus habet vſque necis.
Iam mihi Perſephone nigram deſcripſerat horam;
Impendebat enim parua ruina domus:
Parua; minutatim nam longo ex tempore cœpit,
Quæque diu venit, non venit ante diem.
Ergóne, ſit quamuis mea forma ſimillima Morti,
Non placuit? Morti diſplicuiſſe pudet.
Cæſaris ingenium placuit, ſatiauit amantem
Cæſar, & in tumulo corpus inane iacet.
Audeat & quiſquam leges mihi ponere fiendi?
Me lugere vetat quiſquis, amare vetat.
Et quoties mihi ſollicito dixiſtis amici?
Fac procul à querulo pectore Mœror eat.
Si neſcis, animi Magus eſt Dolor: ille dolentes
Si velit, in totidem vertere ſaxa poteſt.
Sat lacrymis gemituque datum: iam deſine queſtus;
Ne trahat hæc Mortis vna rapina duos.
Dixiſtis, fateor: ſed non mihi dicta ſedebant,
Nec vobis voluit Mœror habere fidem.
Ite meæ lacrymæ, cineres aſpergite lymphis:
I Dolor, in tumulum pectoris oſſa refer:
Sis tumuli cuſtos, tumuli fabricator & idem,
O Dolor, an ſolem veſper, an ortus agat.
Tu mihi Phœbus eris, ſemperque remetiar ex te
Siue Orientem meum ſiue cadente diem.
Quid faciam? Cæſar tumulo iacet, ipſe reſurgam?
Nox illum obruerit, lux mihi ſolis erit?

Mœſta illũ, me læta probent? lacrymabile corpus
Ille ſit, & lacrymis nulla tributa feram?
Quas ego nunc lacrymas memoro? quæ funera tracto?
Aut quibus errorum ludor imaginibus?
O Dolor, ô animi nigror importunus amantis,
Quàm procul à ſeſe pectus abeſſe facis?
Carnificem mentis ſi quis te dixerit vmquam;
Dictum equidem vero verius eſſe reor.
Scilicet, vt crucies animos, & ſomnia fingas;
Sis natura licet, plus tamen artis habes.
Errabam: viuit Cæſar meus. Ille dolorem
Ridet, & ex lacrymis nil niſi cauſſa placet.
Viuit, & ad vitæ fontem rigat aurea vitæ
Semina: quàm cupio par mihi vena fluat?
Viuis: at hic moritur Caſtor tuus, ô bone Pollux.
Tu bello victor; aſt ego miles adhuc.
Te Cælum, me terra tenet: quàm diſpare campo
Par fratrum quondam nobile caſtra locat?
O age, meque tuo, ſi quid iuuat, accipe Cælo,
Nec ſit ab alterius mutua morte ſalus.
Soſpes eram, fruerer cùm lucis munere tecum:
Rurſus ero ſoſpes, cùm tuus hoſpes ero.

IN

IN FINEM STVDIORVM AD EMERITOS AVDITORES APOLYSIS

Ab Auctore dicta.

ELEGIA VI.

Dicamus bona verba bonis. Labor vltimus anni,
Rurſus ad integrum non rediturus, adeſt.
O labor, expulſor veterum ſupreme laborum,
Quàm mihi iamdudum conſpiciende venis!
Quàm cupidâ te parte mei meliore ſecutus,
Optaui amplexus, otia cara, tuos!
Euenêre. Dies, felix Regina dierum,
Supplicis expleuit vota precantis opem:
Expleuit mea vota dies, expleuit Apollo,
Et poſito tandem pectine dixit, Abi.
Iam rude donatus, quamquã rudis vſq; canendi,
Ad ſacrum ſtatuo garrula plectra tholum.
Garrula ſunt, fateor; vellit mihi Cynthius aurem,
Huius & admonuit criminis eſſe reum.
Ex illo placui numquam mihi tempore: durũ eſt,
Crede, Poëtarum cedere nolle Patri.
Cede Patri Vatum, qui ſæpè procacibus olim
Dicitur ex animis elicuiſſe fidem.
Ille quidem pius eſt; ſed, ſi furialiter odit,
Feruet, vt Ætneo reddita flamma iugo.
Depoſitâque chely, furibundũ temperat arcum:
Temperat, & tenui pro fide, tela mouet;

Tela

Tela mouet, populis ſubeundæ nuntia peſtis,
Nuntia venturi funeris arma quatit.
Sic, vbi concretâ nimborum in nocte cadentum
Igneus inuadit nubila denſa vapor;
Fulgura diſſiliunt, tonitru Cælum omne cietur,
Et ferit aut Rhodopen,aut graue fulmẽ Athon.
Teſtis erit,Grajas inter graſſata cohortes,
Grande ſagittiferi dedecus vlta lues:
Poſtquam res Cilicum,Thebanaque fregit Atrides
Mœnia, & Andromaches patria fumat humo:
Fit gradus alterius furor alter: iamque phalanges
Ad vicina ferus Pergama victor agit.
Magnanimos iam ſternit equos , ſpolia ampla ferentes,
Atque triumphatis ſigna petita plagis.
Aſtynome hæc inter, Chryſæ ſubrepta Parenti,
Ibat inhumano præda futura Duci:
Aſtynome ante alias Domino gratiſſima Phœbo,
Cui Genitor miſtum farre ferebat ador:
Mactabatque ſacros ad ſacra altaria tauros,
Et ſuper infuſo ter ſale vota dabat.
Vt ſatis indulſit lacrymis, Chryſeïde raptâ,
Prædatorem adiit, poſt fera bella, Pater:
Qualis ad accenſam Thebani Smintheos aram
Stare ſolet, turbam dum iubet eſſe procul.
Vitta coërcebat tenues, de more, capillos,
Pendulaque hauribat tænia longa Notos:
Infulaque ad Phrygium prætexebatur amictum
Lanea, purpureo ſed medicata croco.
Veſtis inæquali lambebat margine talos,
Ad ſummos vnâ parte reducta ſinus.

Olli

Olli candor erat, qualem componere poſſet,
Si quis Arachnæâ texeret arte niues.
Veſte ſuper formas; varioque emblemata filo
Docta Mineruali dextera pinxit acu.
Vera putes, quæ picta vides; animata recurſant
Penſa, nec à muto ſtamine ſenſus abeſt.
Hæc chlamys antiquas Phœbi deſcripta figuras,
Artifici textu facta cruenta docet.
In medio Python ſpiris ingentibus orbes
Voluit, & explicitus in ſua membra redit;
Et graue ſecreto deducit pectore virus,
Et vomit in Cælum, quas creat ore faces.
Iamque ſolum latè ſubiectis oſſibus albet,
Prata latent fuſis merſa cadaueribus:
Ecce tibi, extento Latonæ filius arcu,
Vlturus caræ damna Parentis, adeſt;
Sortituſque oculis ictum, Pythona ſagittis
Appetit, exſuperat ſquamea terga chalybs.
Parte aliâ intextæ ſurgunt in ſtamina Muſæ,
Atque ora ad cantum vix taciturna mouent:
Mentitaſque fides digiti, pulſuque laceſſunt
Non reſponſuram Serica plectra lyram.
Hæc veſtem ſimulacra notant: nec dicere poſſis,
An ſubſiſtat iners, an moueatur opus.
Intereà Chryſes vittas, & ſerta gerebat,
Sanctaque Apollineo ſceptra reuulſa tholo.
At non ſceptra ſenem, ſed iuuit Apollinis arcus;
Hic potuit quidquid non potuêre preces.
Scilicet irato Chryſes Agamemnone pulſus,
Ad tua ſecurus limina, Phœbe, venit;
Imploratque fidem, per ſi quos impulit vmquam
Stare coronatos ad tua Sacra boues.

Audijt

Audijt Arcitenens è Cæli parte precantem ;
 Quamque recollegit , non tulit ira modum.
Et iam tela rotat nimium exhauſtura cruoris,
 Tela Agamemnonios depopulata Duces.
Vt primùm Zephyros hauſit letalis arundo,
 Intulit in tauros ſanguinolenta necem :
Mox etiam latas animalia fuſa per herbas,
 Strauit anhelanti ſaucia facta lue:
Vltima peſtifero tabes inimica veneno ,
 Fortia Graiugenûm pectora fudit humo.
Omnis ad interitum ſine lege relabitur ætas ;
 Sæua rapit iuuenes , & rapit aura ſenes:
Iamque ſepulcrales tellus negat oſſibus vrnas,
 Et negat arſuros cædua ſilua rogos :
Nil niſi congeſtum ſpectatur funere funus ,
 Nil niſi combuſtæ lata per arua pyræ.
Nec priùs eſt numero cædes ſatiata cadentum,
 Quàm dederit Phœbo Græcia victa manus :
Victa manus dedit : & Chryſeïs reddita Patri,
 Dura Mycenæo reppulit arma ſolo ;
Reppulit, & facies riſit mitiſſima Cæli,
 Deſeruit ſegetes & ſata mœſta lues.
Talia neglectus dedit omina Phœbus Achiuis:
 Et multo pœnam fœnore culpa tulit.
Ah procul hinc letale malũ: tua, Phœbe, veremur
 Tela, procul noſtro de grege peſtis eat:
Quandoquidem tumet pecori, pecoriſq; magiſtro
 Paſcua, deſcripto limite, plena locas.
Sunt tua felici compoſita noualia campo,
 Et tibi perpetuis meſſibus albet ager.
Hîc tibi naſcuntur ſcripti tua nomina flores,
 Et Domini ingenium fertile fundus habet.

Quòd

Quòd ſi par coleret ſola fortunata colonus;
Cyrrhæis fierent inuidioſa iugis:
Nunc tamẽ, vt vitium fateor, ſic deprecor omen:
Cultorem accuſat, ſi bona peccat humus.
Iam quater æſtiuas numerauit meſſor ariſtas,
Preſſa quater pleno ferbuit vua lacu;
Cùm mihi ſeruitiũ ſenſi, Dominumq; paratum,
Et dedi Apollineo libera colla iugo:
Nunc optata ferar quamuis in paſcua liber,
Vix benè libertas illa reperta placet.
Sic tener ex vſu patiens fit taurus aratri;
Et grauis ille licet, fit leuis arte labor.
Quid facerẽ? ſi me naſcentem amplexus Apollo,
Fac, ait, in primo carmina lacte bibas.
Quin etiã, vt perhibẽt, noſtra incunabula circùm
Dicitur Aſcræus peruolitaſſe chorus;
Doctaque veridicos animaſſe in carmina neruos,
Carmina, perfidiæ non ſubitura notam.
Hæc ego non memini, ſed facti conſcia nutrix
Rettulit, aſtarem cùm puer ante focum.
Ante focum nutrix operoſo intenta labori,
Aptabat læuâ garrula parte colum;
Inque apicem glomerabat opes, molliſſima lini
Penſa, leues nebulas, & ſine luce niues:
Pendula mox tereti ducebat ſtamina fuſo,
Et ſæpè appoſito dente domabat opus:
Et penſi vitia allambens hærentia labris,
Mordebat, ſi quam lina tulêre notam:
Fila coæquabat digitis formata ſupinis,
Pollicis & proni turbine torta dabat.
Hîc adeò intendebat, iners ad cetera, mentem;
Tamque operi vigiles iuſſit adeſſe manus;

Vt non liciolum telæ, ſed ſtamina vitæ
Nere videretur addita Parcâ tribus.
Tunc mihi fabellis mulcebat anilibus aures,
Quas ſibi narraſſet Picus ad Exquilias.
Aptus ab emeritâ pendebam voce loquentis,
Hæc in me ſolùm ad carmina ſenſus erat.
Solùm index vitæ fuit aura reciproca cordis;
Hæc quoque per mutas ibat ab ore vices.
Ergo ſemel, præter ſolitum, blandiſſima riſu,
In me conuerſâ lumina fronte tulit;
Et, velut acta nouo violentæ Phœbados œſtro,
Defixis oculis hæſit in ora diu:
Donec abundantem rupit de pectore ſenſum,
Et tales placidâ miſcuit arte modos.
Quid teris ad cinerē, cura ô mea maxima, vitam?
Non benè conueniunt otia rebus, ait.
Sume pares animos: cùm mox adoleuerit ætas,
Te, Puer, exſpectat non puerilis honor.
O mihi vel referat veteres rota temporis annos,
Vel ſiſtat celerem tarda ſenecta gradum;
Inque meū quandoque oriens tuus incidat æuum,
Et capiant oculi gaudia tanta ſenes.
Accipe, quæ nuper rerum miracula vidi,
Vidi ego, ſic Titan craſtinus illa probet.
Iam tibi ſidereus ſpirantis anhelitus oris
Vitales dederat ducere poſſe vices:
In primo vitæ ingreſſu mihi creditus infans
Lallaſti denos ſub mea iura dies.
Nocte ſuper mediâ, cùm iam tibi ſomnus ocellos
Clauſerat, & tenuis preſſerat ora quies;
Adfuit ad teneras antehac incognita cunas
Turba, nec ingreſſis perſtrepuêre fores.

Tu

Tu ſopita quidem laxabas lumina ſomno;
Sed tua, te propter, aduigilabat anus.
Emicui ingreſſus, oculiſque atque auribus hæſi,
Excantatrices docta timere manus.
Dicebam: Viden', vt cunas mala Saga frequentat?
Quis ſcit, an & puero ſit nocitura meo?
Vt tamen inſpexi propiore pericula vultu;
Non video laruas, quas putat eſſe timor.
Non ſpecies, qualis Sagas decet, illa rigebat,
Non inerat vetulis pallida ruga genis:
Non emiſſitiis oculis, facilíve rotatu,
Aut niue dilutis candidiore magis:
Fronte nec obductâ, furibundæ nubis amictu,
Atque ſupercilio pænè loquente dolos.
Quin color ingenij viridis, quin mentis honeſtas,
Et placido in vultu totus agebat honor.
Qui lepor ex oculis, nitidis quæ gratia labris!
Dulcè verecundi qui modus oris erat!
Neglecti crines, ſed neglexiſſe decebat;
Artis habent pretium, ſed tamen arte carent.
Clara Minerualis præcingit tempora laurus:
Vnus hic in nitido vertice cultus ineſt.
Non ego bis quinis, quæ viuens luſtra peregi,
Par opus huic vidi, progeniemque parem.
E quarum numero citharam tulit vna Sororum,
Et vocem ad tenues eſt modulata fides.
Auditos olim numeros, & verba tenebam;
Nunc vereor fragili lapſa cadant animo.
Scilicet eſt impar factis iuuenilibus æuum,
Cui memor in ſterili pectore ſenſus hebet:

Et ſenium expungit ſimulacra veterrima rerum,
Quæ ſteterant altâ mente repoſta diu.
Incipiá tamen; &, quamuis non omnia tangam,
Dicere, quæ memini, ſit mihi pauca ſatis.
Ergo locuturas facundo pollice chordas
Poſtquam conſuluit, præcinuitque lyra;
Denique conuerſo, Puer, in tua lumina vultû,
Plectra tulit tales inter eburna modos.
Dormi, noſter Amor; ſic te tua prouehat ætas,
Alma quies puerum ſopiat, alma ſenem.
Non tu, cùm teneros ætas grauis exuet annos,
Caſtalij viues vltima cura chori.
Sæpè triumphales lauros hederaſque diſertas
Mordebis, docto pabula nota gregi:
Sæpè ſitim pellet tibi fertilis Hippocrene,
Et fluet è venâ liberiore liquor.
Forſitan haud tenui libratus in aëra pennâ,
Maior humo, ſuperas inter agêre plagas.
Feruida ſeu mauis moliri fulmina linguæ,
Arcere & trepidos ad tua verba reos;
Siue per vmbroſas libeat deuoluere ripas
Eloquium, puro purius amne fluet:
Et cadet excuſſo celeris ſententia torno,
Quam grauis excipiet ſiue iocoſa Charis:
Seu iuuat in numerum volucres aſtringere voces,
Et trahere Aonio carmen ab vſque iugo;
Par erit ingenium cunctis: ſed & omnibus impar,
Si mala deſidies faſcinet ingenium.
Deſidies, mihi crede, magis quàm Saga nocebit:
Hæc totidem in truncos vertere membra ſolet.
Ne palpere, Puer, caue formidabile monſtrum:
Frangit adulando pectora, melle necat.

Te

Te tamen auſpicijs melioribus aſtra reſeruant,
  Fac age torpeſcant otia tarda procul.
Tempus erit, cùm clara tui concordia cantus
  Vſque Cytheronis lapſa ſonabit aquis.
Cæleſtes humano animas tum carmine tolles,
  Vna quibus ſuperas ſcandere cura domos:
Ante alios Solymæ naſcentem in valle Puellam,
  Quæ Dium caſto ventre recondat onus.
Lugebis Vitæ artificem, Regemque dolorum,
  Quem dedit Iſacidum turba cruenta neci:
Lugebit pullum, gemitus te dante, Lyceum,
  Et paries doctas effluet in lacrymas.
Mox perſonatas verſu inſectabere laruas,
  Quæ faciem, formâ diſſimulante, negant:
Vendenteſque humilem per comica pulpita vocem,
  Et qui ſidereum fune tuentur iter:
Et turpes ſcurras, & odoriſequos paraſitos,
  Et ſi quæ Dominus monſtra Lyæus habet.
Te dicente, ſuper numerabitur Heroïnas
  Margaris, Heſperij maximus orbis amor:
Margaris, Auſtriadum non vltima gloria Regum,
  Fati immaturâ diripienda manu.
Quin etiam audebis grandes veſtire cothurnos,
  Et Tragico implebis docta Theatra ſono.
Plorabis Ionatham crudeli morte peremptum,
  Et malè conqueſtos fœdera rupta Duces:
Speſque patris geminas, & dulcia pignora, natos
  Patre cruentari proſpiciente duos:
Membraque nolentem temeraſſe innoxia Mortem,
  Corporeque in paruo vix habuiſſe locum.

Qui tibi tum ſenſus, cùm reſpondente Theatro,
Aſpicies plauſus, ſed ſine voce, dari.
Solùm oculi plaudent ſua luctu ſenſa fatentes:
Magnus erit lacrymas continuiſſe pudor.
Tu quoque Threicias agitabis carmine claſſes,
Et diſces patriæ conſulere hiſtoriæ;
Et coniuratas triplicato fœdere gentes,
Et data narrabis terga inimica fugæ:
Mortiferaſque pilas, tempeſtatemque cadentem,
Et benè vibratos ære tonante globos:
Diſiectaſque rates, interque natantia fluctus
Corpora, & irato vela refuſa mari.
Creſce age, noſter Amor; nō hîc tibi meta cauendi:
Crede, erit hæc ætas ad meliora gradus.
Sic ait, & vocem ſubitò Citharistria preſſit,
Plura licet dictis addere vellet adhuc.
At tibi parua, Puer, reſerauit lumina ſomnus,
Cœpiſti ad dulces ora mouere modos.
Tum verò (infelix!) velut indignata videri,
Deſeriit mœſtam turba diſerta domum:
Deſeriit; ſecumque tulit fugitiua meum cor.
Ah! tua cur ſoluit tam citò membra ſopor?
Nuper ego hæc vidi: quæ ſint eà viſa volebam
Scire, nec inuenit ſpes malè cauta fidem:
Eſſe puellarum genus acre, & nobile cantū,
Narrare antiquus ſæpè ſolebat auus;
Illas diuino cenſeri nomine Muſas,
Et colere Aonias, rura beata, plagas.
Forſitan hæ cunas circùm duxêre choreas,
Et tibi venturos præcinuêre dies.
Quidquid id eſt, audita olim meminiſſe iuuabit
Verba, Sibyllino carmine vera magis.

Concipe magnanimas puerili pectore vires:
Eſt hoc ingenij magna minantis opus.
Spero equidem, nec vana fides mea gaudia turbat;
Sic tua tum Virtus ſpes velit eſſe ratas.
Hæc ad me nutrix. Sed non ego credulus illi:
Sæpè ſibi fingunt ſomnia vana ſenes;
Cumq; ætas properat biſſenum claudere luſtrum,
Delirat veteres vt ſub aratra boues.
Vera tamen quis multa neget? ſpectacula multa,
Pluraque, quàm nutrix eſt meditata, dedi.
Vos ego nunc teſtor ſolitos audire canentem,
Atque aliquid nugas eſſe putare meas.
Cernitis, vt ſuperant noſtri veſtigia cantus,
Conſtantemque facit pendula charta fidem.
Exitus hic rerum, cantandi hic terminus eſto:
Sit poſthac vltrà præteriiſſe nefas.
Nos aliò mentes, aliò conuertimus annos:
Interdum ſatiant quæ placuêre diu.
Semper ego humanæ conſiſtam in margine ripæ?
I demum, in Superos tende biformis iter.
Ibo libens: vos cara olim mihi rura valete;
Celſior humano vertice in aſtra feror.
Hîc mihi Diuinos libeat perdiſcere mores:
Quis certâ mundum temperet arte Deus:
Vt ſit idem trinum, quod Numen dicitur vnum:
Vt benè conueniens forma ſit vna tribus:
Vixerit æterno Proles æquæua Parenti,
Spirarit gemino è Numine Numen Amor:
Spiret Amor Patri, Natoque ſimillimus idem;
Aequarit ſeſe par in vtroque Pater.
Quis tanto è nexu patriis deſcenderit aſtris,
Et ſe Virgineo clauſerit in gremio:

Et Puer, & Deus, humani ſub imagine vultus,
Soluerit antiquos nomine ſontis Auos.
Siderei Proceres fuerint quo tempore creti,
Cui ſtatuant ſuperos agmina mille choros:
Concreto ducant immiſtam corpore vitam,
An ſine mole animas ſpiritus auctor alat:
Vis eadem ſocijs, natura ſit omnibus vna;
Inſpecto videant tempora noſtra Deo.
Quæ deſertricem violarit culpa cohortem,
Et luere æterno iuſſerit igne malum.
Hæc mihi ſunt dicenda, nouas dum mutuor alas,
Et volucri Cælum metior ingenio.
Intereà vos, ô quibus inſudauimus annum,
Viuite, ſed memores, ſæcula longa, mei.
Hactenus indulſi vobis, mea cura, laborem;
Quamquam in veſtra labor commoda ludus erat.
Nec placui, fateor; quid enim mea damna recuſem?
Non eſt ægroto diſſimulanda lues.
Multa quidem de me nutrix oracula finxit;
Multa etiam tempus vera fuiſſe probat:
Sed, quod erat demū memorabile, callida preſſit:
An quia, quiſquis amat, ſponte timenda tegit?
Debuit hoc dictis attexere, me fore quondam,
Dicere qui poſſem multa, placere parum.
Verùm ego ni placui, ſatis eſt meruiſſe volendo;
Parcite, quod debet parcere quiſque ſibi.
Solabor proprium communi ſorte dolorem,
Publica nec memet fata ſubire pudet.
Extremum hunc, Elegia, mihi concede furorem,
Vt facili aſpergam ſeria dicta ioco:

Et,

Et, quamuis non ſat dicaris idonea ludo;
Te ſemel arbitrio ludicra finge meo.
Accipite hæc animis, quoniam vacat; & ſua diſcat
Somnia, ſi quis amat omnibus eſſe ſatis.
Fortè parens gnato comitatus agebat aſellum;
Hic puer inualidis viribus, ille ſenex:
Riſit, vt aſpexit vicini ruris arator,
Carpere dorſo animal liberiore viam.
Cùm tamen, immodicos agitator vterque per æſtus,
Vix traheret crebro corpora feſſa gradu;
Gnatus aratori morem gerit, emicat vltrò,
Iumentique ſui terga ſubacta premit.
Alter adeſt, iuuenemque vehi miratur, & odit
Ire gradu miſerum languidiore patrem.
Audijt hæc genitor, dictiſque aſſenſus amicis,
In dorſum, nato deſiliente, micat.
En alius; Puerumne tuum lanięna moratur?
Siccine venalem, mi vetule, inquit, habes?
Annuit ille, iubetque vnà conſcendere natum;
Iamque grauat mitem pondus vtrumq; feram.
Obuius hanc alius miſeratur: &, O pudor, inquit,
Bellua, nónne vides, vt vehit vna duas?
Quid faciat genitor? partes ſe verſat in omnes,
Si queat errantum comprimere ora virûm:
Deſilit, & vectorem ipſum reſupinat arenâ,
Induit & iunctos in bona vincla pedes:
Et, quoniam toto paſſim obiurgante Senatu,
Vix vllum potuit ferre; feratur, ait.
Nec mora, tranſuerſo per dura ligamina conto,
Inſolitum iuuenis cum ſene portat onus.

H 5 Scilicet

Scilicet exſultant tanta ad ſpectacula ciues,
Vndique conueniunt, ore vomente iocos;
Vrbanoſque ſales, opprobria ruſtica miſcent,
Excordem puerum cum ſeniore vocant.
Inde redardeſcit patri furor; & mihi pœnas
Intereà, dixit, bellua vincta dabis:
Semper ero pro te populari obnoxius iræ?
Pondere te noſtro nos, age, ſolue tuo.
Dixit, & intrepidum de culmine montis aſellum
In propè labentes præcipitauit aquas.
Hic finis aſini fatorum, hic exitus illum,
Qui ſperat multis poſſe placere, manet.
Fabula narratur, ſed non & nomina de me:
Nec ſumus his titulis turba minuta pares.
Nempe probaturos aliis quam geſſimus artem
Egit inexhauſtus ſemper agetque labor.
Vicini laudator agri quàm rarus? honorem,
Quem tribuit, credit quiſque perire ſibi.
Tantùm aliena ſuo metitur commoda ſenſu,
In quibus ipſe etiam liuet & odit honor.
Quot chartæ nigra ſigna gerunt? quodcumque volumen
Attritas facies vngue legentis habet.
Mancipium ceu turpe notas & ſtigmata præfert,
Neſcio quid ſerui Diua Poëſis olet.
Muſarum cenſus numquam cenſore vacabit,
Doctrinæque penus pœna ſit acris hero.
Hic amat eloquium facili reuolubile curſu,
Huic tenuem in nodum verba coacta placent:
Quot voces alij, totidem myſteria poſcunt,
Atque etiam punctis numen ineſſe volunt:
Sim-

Simplicitas alios delectat candida linguæ,
  Nec mendicatis culta Minerua bonis.
Rarò conſpirant animi. Cui ſenſa palato
  Dulcia reſpondent, rurſus amara nocent.
Oderunt melimela alacres, quibus aſpera cordi;
  Et quæ nouit acu pungere, lingua ſapit.
Abruptus ſermo propriam ſi vendicat artem;
  Defenſore ſuo, non tamen hoſte caret.
Sunt, quibus è Cælo deducta tonitrua vocum
  Detineant aures, quas leuis aura fugat.
Nemo vnus punctum omne tulit, licet vtile dulci
  Miſceat, & tria ſub pectore corda gerat.
At quodcumque animo plebs improbat, ore laceſſit,
  Nec facilè arbitrij ſenſa repoſta premit.
Nos, quorum commenta leui ludibria vulgo,
  Et turbata Notis carmina ſæpè volant;
Non vltrà populare malum patiemur inulti,
  Cedimus, & gratis iam pudet eſſe ioco.
Ars mea, ſi me audis, exemplo mitis aſelli,
  Tu quoque Lethæo præcipitêre vado.
Sic vulgi poſthac clamore carebimus ambo;
  In medio ranas mitiùs amne feres.

VINCENTII GVINISII E SOC. IESV POESIS LYRICA.

NASCENTI IESV MONODIA.

ODE I.

Collis ô Amor aurei
Cultor, ætherium genus,
Huc ades bonus, & bonam
O age facem,
O age fidem:
Facem, quâ tenebras moues
Vltra Cimmerias plagas;
Et Solis profugum iubar,
Si nocte vocas,
Et nocte redit:

Fidem, quâ Superos cies,
Et Cæli volucres fugas
Cantu ſiſtis amabili;
Numenque feris,
Si fortè furit.
Huc ades, bonus Aliger,
Fronte, quâ nitidum ſoles
Serenare meridiem.
Sic Deus iubet,
Sic Puer iubet:
Puer ſidere pulchrior,
Et pellucidior vitro,
Dia cui nota Numinis,
Paternus apex
In fronte ſedet.
Ille, dum placido imperat
Nox facunda ſilentio,
Exſpectata diutiùs
Tollit lumina
Materno ſinu.
Sic nocturnâ latet roſa;
Matutina recluditur:
Sic conchâ maris Indici
Incluſa diu
Mox bacca fluit:
Sic Sol manè renaſcitur,
Deque alti gremio maris
Exit purpureus puer,
Inuectus equis,
Et lotus aquis.
Viden Bethlemio in ſolo,
Inter prata comantia,

Inter ſaxa rigentia,
Vt ſæua feras
Spelunca fouet?
Hîc amœna crepuſcula,
Viui ſemina luminis;
Hîc amabilior latet
In nocte dies,
In die Deus.
Infans Regius hîc latet,
Summi progenies Patris:
Matris delicium integræ,
Pura brachia,
Nuda pectora
Horrenti in ſtipulâ locat.
Hic natalitio in thoro,
Par ſolis thalamo incubat;
Fœnumque leue,
Cœnumque graue,
Et triſtes hiemis vices
Per noſtrum patitur ſcelus.
O beata neceſſitas!
O cæcus Amor,
Quàm dulcè vides!
Infami tegitur ſpecu,
Paruo in gramine conditur:
Sed vides, vt inardeat
Duro in gramine,
Turpi in carcere?
Sic nigro ſolet in luto
Sæpè luxurians onyx
Aut carbunculus occuli;

Preſſuſque licet,
Merſuſque licet;
Lucet ambitioſiùs.
Sic prænuntia fulminis
Flamma incluſa valentiùs
E nube micat,
E nube tonat.
Qui vultu lepor innatat!
Quæ genis Charites ſedent!
Quàm micantia ſidera!
Quàm cara omnia!
Quàm pulchra omnia!
Intactis viden in genis
Miſtas parthenicæ roſas?
Viden labra corallina,
Niueſque pedum,
Eburque manûm?
Nam fidos quid ocellulos,
Quid ſupercilium loquor,
Quo Cælum graue ſuſtinet
Imumque ſolum,
Vdumque ſalum?
Vide candidulos ſinus,
Vitæ perfugium meæ,
Cordis hoſpitium ſui.
Vide tempora,
Vide pectora.
Nihil, crede mihi, vides:
Sunt pulcherrima quæ latent.
O ſi rimula pectoris
Cor exprimeret,
Cor tenerrimum!

Quæ

Quæ ſpectacula cerneres!
O cor, ſemen amantium!
O punctum orbe capacius!
O nidum meum!
O nodum meum!
Sed hæc ſcena reconditur:
Sunt nobis adyta inuia,
Quæ ſoli Puero patent.
Sat corda videt
Qui corde gemit.
Tu redi ad Pueri latus,
Aulæ ſiparium intimæ,
Ad dulces animi fores.
Hîc fige gradus,
Hîc vota præi.
En, vt brachiolis micat,
Atque eburneolas manus
Ad Matrem bonus explicat;
Ridetque pius,
Ploratque pius.
Intercede licentiùs:
Et parui oſcula Numinis,
Quæ Matrem cupidam appetunt;
Cara vulnera
Lætus excipe.
Aude, mi cor, & ictibus
Oris pungere viuidi,
Puris ſtringere brachiis:
Et luminibus,
Et fluminibus
Irrorare liquentibus.
O quæ gaudia concipit

De-

Deſpumata doloribus!
Quæ dona capit,
Cui vita ſapit!
At iam delicias ſuas
Deponit gremio Parens:
At iam faſciolis tegit.
Heu! Solis opes
In nube latent.
Tenereſcite gramina
Attactu teneri Dei;
Cui Cælum in lacrymas abit:
Et lacte pluit,
Et melle fluit.
Parce flatibus Æole,
Ventorum leuis arbiter,
Cadentum ſator imbrium,
Antriſque cauis,
Cæciſque iugis,
Immites animas preme,
Bono neu Puero noce.
Si neſcis, Puer eſt Deus,
Matre ſenior,
Nec Patre minor.
Heu! venti lacerant preces
Per ſurdas precibus plagas.
Caſtigatur inertia:
Cauruſque volat,
Euruſque volat:
Et, facto velut agmine,
Infantis teneri ſinum
Duro frigore ſauciant.
Ah furor, furor,

O dolor, dolor!
At ille in niuibus iacet,
Primâ candidior niue,
Dum ſæuis Aquilonibus
Prata frigida,
Stagna rigida
Preſſo conglaciant gelu.
Rides, Diue, flagrantibus
Recreatus amoribus,
Cordiſque face,
Oriſque vice:
Et ſpirantis anhelitus
Dulci flamine temperas
Inclementia frigora.
O ſuſpiria
Eloquentia!
Inflammas hiemem aſperam,
Atque ardere gelu doces.
Auræ, dum tibi ſæuiunt,
Rigendo calent,
Calendo rigent.
Nam tu ſæuitiam imperas
Imbribuſque cadentibus,
Procelliſque minantibus;
Has flare iubes;
Te flere iuuat.
Nam fletus dolor elicit,
Quos venti quoque congelant,
Amant ſugere gaudia
Liquidiſſima
Rigidiſſimi.

Sed quæ ſomnia conqueror?
Dolor ludus amantium eſt:
Nec expers emitur benè
Doloris Amor,
Amoris Dolor.
Sic eſt. Cùm dolet hic Puer,
Amat, credite poſteri.
Ipſe carnificem prior
Inuenit Amor,
Idemque tulit.
Ergo triſtis hiems age;
Ad futura ſerenior,
Si crudelior inferes
Dura ſpicula,
Sæua vulnera.
Huc crudas animas Noti:
Vos ſpirate furentiùs;
Hic dolebit amantiùs:
Sic Dolor iubet,
Sic Amor iubet.



VIRTVTES
VRBANI VIII. PONT. MAX.
AD MODOS DICTÆ
INTER PHILOSOPHICAS
MARCHION. SFORTIÆ PALLAVICINI
CONCERTATIONES
IN COLLEG. ROM. SOC. IESV.

FELICITAS

Druſi Imperatoris, Apum augurio victoriam diuinantis, pari omine repetita, rurſumque ſperata.

ODE II.

DRuſe, vincendum. Viden arma circùm
Stare feſtiuas Apium cohortes?
Surge, quid ceſſas dare militari
Prælia dextræ?
Agmen è Cælo venit auſpicatum,
Proſperum pugnæ redeuntis omen;
Alitem paſto Ioue decidentem
Excipe Cæſar.

Ille Romanam vehit ore laurum
Ales, & pugnâ bonus, & triumpho;
Pacis inuictæ mediuſque belli,
Aptus vtroque.
Siue ſit vitæ ſapor eliquandus,
Roris & puri fabricanda merces;
Mole membrorum minor, arte maior
Dædalon æquat.
Primus in campo labor: hîc minuto
Conſulit roſtro genus omne florum:
Hîc leues ſuccos animamque libat
Virginis auræ.
Inde meſſorum vice functus Ales
Conuehit viuax onus ad paternas
Aluei ſedes, vbi regna ſeruant
Mellea plebem.
Artis hîc miræ faber officinam
Roris exercet, reficitque cellas;
Hîc pauimentum locat, imprimendis
Otia ceris.
Tum fauos ſucco grauat, & fluentem
Stillat Auroram, liquidumque Cælum:
Mel vocant vulgò; tamen eſt liquentis
Lacryma Solis.
Roris at puri pretioſus auctor,
Melle pacato fera bella miſcet:
Nectar in pratis legit, & venenum
Nobilis iræ.
Neſcias, vtro magis expeditus
Regnet in campo, necis, an roſarum;
Martis, an Floræ melior labori;
Mollis, an aſper.

Ore

Ore quo pacem gerit, arma tractat:
Vulnerat telis, quibus oſculatur:
Aptat ad flores hebetatque fulmen;
Promit & abdit.
Mitis in ciues, ferus in rebelles,
Pellit ignauum pecus, acre paſcit:
Cùm vacat, miles catus; & ſenator,
Cùm vocat vſus.
Cæſar, hic fauſtum tibi portat omen
Alitum nimbus. Meditare præſens
Martis exemplum, ſimul & futuræ
Omina pugnæ.
Non tibi ſolùm fauet hæc volantum
Turba, fortunæ melioris index;
Me quoque in partem vocat augurandi
Regius Ales.
Qui ſolum Solis colit, aſtra libat,
Semper ardentis populator horti;
Vnde mel vitæ trahit, & colorem
Diuitis auri.
Nam mihi Cælum quoque BARBERINVM
Promit VRBANAS APIVM cateruas,
Maius Hyblæis genus, & vireto
Cælite paſtum.

SANCTIMONIA PRINCIPIS NOSTRI APIBVS AMBROSIO MELLIFICANTIBVS EXPLICATA.

ODE III.

AT tu, ſupremi Filia Pectoris
Virgo, minorum maxima Virginum;
O mentis heres ſempiternæ
Relligio, pia mater æqui:
Fecunda nutrix ritè colentium,
Pacata vindex crimen amantium;
Menſura ſancti, meta recti;
Supplicij mora, lex ſacrorum;
Matrona Virgo, blanda ferociter,
Mitis ſeuerè, læta viriliter;
O fortis expultrix Deorum
Fœda ſibi ſacra vindicantum;
Accede lætis, & pede proſpero
Inſanientem ſubde proteruiam
Orci minantis, cui paternus
Vana ſuperſtitio eſt triumphus.
Malè ominatis parce negotiis;
Vides, vt Ales nectaris artifex,
Interpres aſtrorum fidelis,
Melle ſuo tua Regna format?

Sæpè & futuri præuius impetus
Latet, nec ardet: vidi ego conditum
In rebus anguſtis, & œſtro
Exiguas animas agentem.
Sed lingua peccat: quippe negauerim
Anguſta rerum pectora, mœnibus
Incluſa membrorum minutis;
Verùm animis habitata magnis.
Et parua quamuis Ales Hymettius
In membra creſcat; credite longiùs
Ventura tangentem ſagaci
Mentis acu, tenuique ſenſu.
Teſtis Latinæ filius Albulæ
Proles Quiritum, ſed Pater Inſubrum
Antiſtes, & cuſtos ſacrorum
Ambroſius, domitorque Regum.
Centum futurus mox Puer artium
Cunis agebat tum leuioribus
Vitæ rudimentum recentis,
Et placido dabat ore ſomnos.
Apum propinquus fortè manipulus
Adeſt, vt altâ fronde pependerat:
Vuamque ramo conglobatam
Agmine liberiore ſoluit.
Mox ad iacentis parua cubilia
Vel altor errat nobilis ingenî;
Prætorianus ſiue miles
Dulce latus Pueri coronat.
Errore circùm ludit amabili:
Ad labra donec conuolat, ambigas
An turma decerptura rorem,
An potiùs poſitura currat.

In ora demum ſimplicis Ambroſî
Se condit, hîc mel fabricat, hîc fauos.
Quis poſſe miſceri per artem
Nectar in Ambroſiam negabit?
Nec tam beatis ora liquoribus
Aſperſit Ales, quàm iuuenilium
Signauit annorum tenorem
In Puero, geniumque mentis
Emancipatæ relligionibus
Intaminatis, & pia fulmina
Linguæ cruentantis rebelles
Romuleæ Pietatis hoſtes.
O cenſor ingens orbis, & ô Pater,
Viuax colentum norma Quiritium,
VRBANE, ſacrorumque Princeps;
Cui Pietas dedit ipſa Regnum!
Signauit olim ſtemma domeſticum
Gentilis Ales, conditionibus
In anteceſſum deſtinatis,
Te fore, qui graue pondus Orbis,
Et Vaticani ſidera verticis
Celsâ leuares mole ſupercilî,
Cælumque Virtutum moueres
Conſilio, regereſque nutu.
Venêre: iam te Relligio premit
Impoſta dorſo: iam tibi Romulus
Incumbit axis: diſce Mundum
Ferre nouum Latialis Atlas.

SAPIENTIA PRINCIPIS NOSTRI APIBUS PLATONIS ALTRICIBUS EXÆQUATA.

ODE IV.

O Præiudicio nota Platonico,
Ales, Cecropij nectaris artifex;
O florum populatrix,
Quantò nunc ſapis ampliùs;
Cùm Romæ Dominum pectus amabili
Permulces animæ dulcis anhelitu,
Atque in mella liquatum
Stillas cor Sapientiæ!
Sic olim Puero, cui genus Atticum,
Sed Virtus patriâ diuite ditior,
Succum mobilis auræ
Inter labra refuderas.
Quà conſanguineus veris Hymettius
Halat perpetuis hortus honoribus,
Nato diues Ariſton
Muſis thura parauerat:
Et Nutrix aderat, Myſta litantium,
Aſperſura ſacris frugibus hoſtiam;
Infantemque Platonem
Depulſum tenero ſinu,

Et pondus gremij dulce, locauerat
Inter Cyprigenæ brachia germinis:
Quà ſub ceſpite Myrtus
Incunabula præbuit.
Maiorem meritis, nec ſibi debitum
In Myrto tenui viuere floſculum,
Admirata volantum
Senſit progenies Apum.
Senſit: nec tenerum curat amaracum,
Non calthas nemorum, non thyma collium;
Regnum dulce roſarum,
Vnum ſat Puerum putat.
Huc ergo cupidis lapſa volatibus,
Prædatrix nitidæ Chloridos emicat;
Deſpectiſque viretis,
Viuam parthenicen colit.
Hic flatus animi dulce reciprocos
Spirantis Zephyros adbibit hortuli;
Hic molles hyacinthos,
Hic dulces violas legit.
Huius labra petit plena coralliis,
Atque os, veſtibulum pectoris obſidet,
Inſtillatque liquores
Ad cor vſque volubiles;
Hinc illud Puero mel Sapientiæ,
Et præſtans animæ diuitis impetus:
Cui Natura gemellam
Numquam viderit indolem.
Tantum fatidici Numinis inſidet
VRBANIS APIBVS: tam benè digerunt
Puri pabula Cæli,
Et commercia ſiderum.

At tu Romulidum maxime Principum,
Cui gentilitiæ mellificant Apes;
Cui cor nectare complent;
Et venâ grauis ingenî:
Me patrocinio pectoris excipe,
Et permitte Apibvs, me quoque melleo
Spargant rore, tuique
Succo nectaris allinant.

ELOQVENTIA PRINCIPIS NOSTRI PINDARVM MELLE PASTVM ASSECVTA.

ODE V.

DVlcis ardor, aura mollis,
Melleumque cordis œſtrum,
Otium ô negotioſum,
Somniumque, noctis expers,
Vena curſitantis vndæ
Ad fluenta pectorum.
Virgo, montis hoſpes alti,
Incola ô beata fontis,
Sed frequentiùs relicto
Fontis imbre, montis vmbrâ,
Gaudet eſſe doctiorum
Inter arua mentium.
Laureata Virgo crines,
Et manum canora plectro;

Quo rebellis ira ponit,
Mitiorque ſurgit ardor,
Cuius arte belluinus
  Mitigatur impetus;
O medulla Gratiarum,
Multiforme cor Süadæ,
Mite robur, acre pectus,
Vox catenulis ſonora,
Lingua diues, imperatrix
  Eloquentis ingenî.
Cerne melleas Volucres,
Quà ſerenus ore Puber
Preſſat arua, captat auram:
Perque viua regna florum,
Flos amœnior beatum
  Spirat, haurit otium.
Pindarus lyræ tyrannus,
Atticæque cycnus vndæ,
Puber inuidendus hic eſt:
Sole qui meridiano
Sola per vireta greſſus
  Explicabat alites:
Sed flagrantis igne cæli
Vulneratus, & laborum
Mole preſſus inſolentum,
Delicata membra ponit,
Quà ſuperbientis ingens
  Vmbra ſurgit ilicis.
Huc ab intimis roſetis
Mellis Ales vrget alas,
Et iacentis ora nati
Dulce recreat ſuſurro,

Blanduloque pennularum
  Ventilat flabellulo.
Mox reciproci beato
Halitus odore captus,
Hîc habere credit Hyblam,
Regna Veris hîc ſalutat:
Spernit arua, ſeque condit
  In labella puberis:
Spiritumque cordis haurit,
Vnde nectar allaboret;
Mella fundit, ora ſugit,
Fœnorique ponit artem;
Tela condit, abdit iras,
  Sola promit oſcula.
Hinc perennis ille torrens,
Illa vena iugis auri,
Ille fons amœnitatis,
Eloquentis imber amnis
Corde ductus, ægra doctus
  Recreare pectora.
Hinc ſonora vocis aura,
Spirituque plenus ardor:
Hinc volatus ille mentis,
Maior arte Dædaleâ;
Inde robur, inde pondus,
  Totus inde Pindarus.
Surge diues ore Virgo,
Verba funde, prome laudes,
Plectra tange, pande cantus:
Poſcit hoc canorus ardor,
Pindarique mente maior,
  Mens diſerta Principis.

Scis

Scis & ipſa quid meretur
Vocis aura BARBERINAE;
Quando tu cor occupaſti,
Nidulumque, labra, cordis:
Hîc foueris, hîc triumphas
Hac in arce Palladis.
Hac in arce caſtra ponit
Adminiſtra mellis Ales:
Hîc beata corda meſſem
Semper educant odorum:
Mentis huc perenne Cælum
Rore ſemper influit.

PRVDENTIA PRINCIPIS NOSTRI CVM HIERONE REGE COMMISSA AB APIBVS ENVTRITO.

ODE VI.

MAtrona Princeps, cui ſceptra dextram,
Cui ſerta frontem, cui regna collum
Faſtu coërcent, nec mole curuant,
Fetamque mentem, vaſtumque pectus
Humanus implet, non æquat orbis;
Diuinus ardor, conſultus æui,
Prudens futuri, præſentis index,
Mens certa rerum, verique cuſtos,
Ignara falli, dedocta fraudes;
Seu campus vrget, ſeu poſcit aula,
Seu cura belli, ſeu iura pacis:

Prudentiſſima Virginum Virago,
Strenuiſſima fortium,
Feliciſſima Principum,
Magni Filia germinis,
Vſum nacta Patrem, Matre veterrima:
Mnemoſynes generata partu,
Lucis inocciduæ feracem
Prodiga mentem;
Sole tuo recreata ſemper,
Vectura tecum, quocumque pergas,
Vel in nocte meridiem:
Age Virgo, prouidentem
Excute frontem:
Oculoſque, perſpicacis
Sidera mentis
Volue, quà tenellus infans
Solus in ſolo nemorum theatro
Inter brachia ceſpitum,
Inter dura crepidinum,
Fortunæ tamen in ſinu,
Altore Cælo, nutrice Famâ,
Proiecto ſimilis iacet.
Inde, ſi neſcis, tua damna pendent;
Rurſus hoc pendent tua Regna filo,
Ille ſi tantùm fera fata rumpat,
Indolis magnæ Puer, ô tuorum
Germen honorum.
Sed iam futuri præſagus ardor
Euenta rerum maiora ſignat:
Erumpet infans anguſta vitæ,
Fatiſque maior, mortiſque victor
Euadet euripos malorum,

Expo-

Expoſitus meliore campo.
Tunc ora vertet ſcena ſerenior
Feliciori ſorte volubilem
Mutatura cataſtrophen.
Sic eſt, nónne vides, APVM
Innumeras volitare turmas?
Nimirum ſatis eſt beatitatum:
Iam puri liquor ætheris,
Et vindemia cæli,
Auroræ pedibus preſſa rubentibus,
Cæleſti procul è lacu
Exundauit in orbem:
Atque in doliolis recepta florum,
Anguſtos calices mollis amaraci,
Narciſſique comantis,
Lilijque rubentis,
Muſto ſiderei nectaris imbuit.
Huc volat aërij mellis vindemitor Ales,
Et liquidos cæli latices ſoliſque liquorem
Ore legit, mox antra petit, quibus aureus infans
Incubat; & circumuolitans plaudentibus alis,
Labra petit Pueri per inhoſpita rura iacentis,
Inſpiratque animam mellis pro lacte Parentum.
At ô magne Puer, gemelle Regum,
Infelix, mihi crede, tu fuiſſes,
Humanus tibi ſi fuiſſet altor.
Hinc tibi regnorum creuit adultus honor:
Hinc ille ſuccus prudentis auræ,
Hinc vena recti contenta parto,
Hinc cenſus vrbis virtute menſus,
Aulæque luxus finitus æquo,
Nomenque magnis æquale factis.

Hinc fama, veri fecunda nutrix,
Et pectus ingens cui paruus orbis,
Et cordis ardor cui meta Cælum,
Et mens prouida Pacis in ſenatu,
Et mens feruida Martis in theatro.
Qui velit ſemel omnia
Complecti bona Principum,
Sat dicet, ſi dixerit vnum
Hieronem, Imperij iugis imaginem.
At tu Latinæ ſolamen Vrbis,
VRBANE, rerum communis ardor,
Orbiſque Princeps, morumque cenſor,
Regnante quiddam Hierone maius;
Sic Roma iactat, ſic cenſet Orbis;
(Nec crede paruum, quod Roma iactat,
Quod cenſet Orbis) cui fama nomen,
Cui facta famam fecêre laudum;
Te quoque gentiles APIVM coluêre phalanges,
Et tibi ſolertes animo adleuêre liquores,
Prudenteſque fauos, & inexpugnabile pectus
Conſiliis fecêre tuum, celeremque regendis
Imperiis mentem, pronamque ad ſtemmata frontem,
Atque ad ſceptra manum. Tunc arbitra mobilis æui,
Iuſtitiæ comes, & domitrix Prudentia fati
Se tibi perpetuos animo informauit ad vſus;
Hîc aulam, hîc artes, hîc dulcia caſtra locauit.
Sic qui Regna velit ſibi mellea fingere, diſcat
Ex APIBVS VRBANE tuis, & mellea fingat
Corda priùs, ſuperamque in labra recolligat auram.

CAN-

CANTVS NAIADVM
Telas in Ithacenſi ſpecu texentium, dum Apes mella conficerent.

ALLEGORIA
AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM
FRANCISCVM
CARD. BARBERINVM
Ex Homericis Commentis adducta,

Cùm MARCELLVS SAVLIVS *Ianuen. ſub eius auſpiciis Philoſophicas concertationes iniret in Collegio Rom. Societatis* IESV.

VRANIA NAIADVM PRIMA.

ODE VII.

AGe, paſta melle Virgo,
Ithacenſis hoſpes oræ,
Leuis amnium propago;
Age, fila dum laborant,
Acus ora dum colorat,
Variantis ora telæ:

Modò textilem figurat
Vaga cuſpis arte lanam,
Animatque vulnerando:
Modò vulnerum lacunas,
Vbi fecit, implet auro.
Age (quid moraris?) ardor
Mariumque, fluminumque:
Viden, vt miniſtra textus
Sine voce dextra languet,
Sine voce cuſpis hæret?
Age, quod leuet laborem,
Age, quod ferat vigorem,
Alacremque fingat artem.
Labor eſt rudis magiſter
Operumque textuumque,
Niſi voce temperatur:
Minor ille fit canendo,
Taciturnitate creſcit.
Ego, ſideralis orbis
Imitabor arte molem;
Facis arbitrum diurnæ,
Niueumque noctis aſtrum;
Neque ſiderum minorum
Procul hinc micabit agmen.
Erit ergo tela Cælum,
Erit aura lucis aurum:
Opus hoc mei laboris.
Mihi gemma finge Solem,
Mihi pinge concha Lunam:
Varioque trama nexu,
Pluuiæque, fulminumque,
Niuiumque finget aulam.

Ca-

Cadet hinc perenne nectar,
Quod amica mellis Ales
Apis, inter orta flores,
Leget ore, mox ſalutem
Mihi melleam liquabit.

EPICHTHONIA

NAIADVM SECVNDA.

ODE VIII.

ITe tranquillo vaga fila textu,
Cùm decet puras animare telas:
Ite, quid mutus labor otioſam
Diſtinet artem?
Hactenus nullo vitiata fuco
Lina natiuus color occupauit.
Ite, dum viuax opus implicari
Poſtulat auro.
Aureos ſæclo referente mores,
Clarior flaui nitor eſt metalli.
Mutet aurato niueum veneno
Tela colorem.
Ite, ſic Romæ noua poſcit ætas:
Roma ſic poſcit, Latiæque Princeps
Vrbis VRBANVS, ſed & Orbe maior,
Nec minor aſtris.
Ite, ſic poſcit ſoboles Parentum
Æqua fortunæ, populique votis,
Ceteris maior, tibi Magne tantùm
Patrue diſpar.

Ite, longinquos animate campos:
Imprimat telas acus, & iacentum
Ampla terrarum ſola Dædaleo
Stamine ducat.
Quidquid effectrix operoſa rerum
Docta Naturæ manus in repoſtâ
Condidit terræ generantis aluo,
Textus adumbret.
Ite, ſic mellis fabricator Ales
Nectar inſtillet pretium laboris:
Nectar Heroum cibus inquietam
Recreat artem.
Maior humano ſapor arua neſcit:
Succus eſt purus genitalis auræ.
Nempe de Cælo ſua BARBERINO
Balſama ſudant.

MELISSEA

NAIADVM TERTIA.

ODE IX.

O Laboris æqua merces!
Cernis, vt leuis voluptas
Virginumque Fluminumque
Aura mollis, aura vitæ,
Cordis eſca, mentis ardor,
Mel per antra purpurat.
I labor, miniſter artis:
Eſſe tædet otioſum:
Surge, curre, ſume pennas,
Fila texe, fige telas,

Dum

Dum miniſtra mellis Ales
Dulce nectar eliquat.
Prouocat liquor laborem,
Prouocat labor liquorem;
Vtriuſque meta dulcis,
Dulcis eſt viciſſitudo.
Perge fila textileſque
Implicare gemmulas.
Parua cuſpis i per arua,
Purpurantis arua telæ:
Dextra ſit colona campi;
Lingua ſit miniſtra cantus.
Punge lina; pinge flores,
Finge mellis Alitem.
Mellis Ales hîc triumphat,
Regnat hîc ſalutis Ales;
Regiumque pandit agmen,
Regiamque ponit aulam,
Dum laborat, & colorat,
Imbricatque cerulas.
Libat hîc amœnitatem,
Oſculatur hîc liguſtrum;
Roſmarimque, liliumque:
Deque ceſpitum rapinis,
Deque rore, deque florum
Flore, mella colligit.
Inde pectoris receſſum
Florulenta meſſis implet;
Inque cordis officinâ
Innocenter eliquatur;
Nectariſque balſamique
Lacrymatur imbribus.

O la-

O laboris æqua merces!
I labor, miniſter artis,
Pinge regiam Volucrem:
Dum laborat illa nectar,
Pinge præmium laboris,
Alitemque nectaris.

THALASSIA

VLTIMA NAIADVM.

ODE X.

Vos quoque facili ſtamina panno
Maris erectos pingite fluctus.
Vnda reducto ſpumet in auro,
Serica bombyx exprimat algam,
Gemmea littus bractea fingat,
Fluat intexto leuis argento
Pubes, liquidi filia ponti,
Squamea pubes: ducat in vndis
Feſtiua gradum, feſtiua diem.
Age, mentitas plaude choreas,
Gemmea pubes: ſic fila iubent,
Sic mitis acus, ſic dextra leuis,
Sic artis honor, ſic laudis amor.
Quotquot tacito monſtra profundo
Creat artifici natura manu:
Quotquot tumido maris in dorſo
Humida viuunt ſæcla natantum:
Conchæque leues albentis opes,
Pontique graues ſpumantis aquas,
Monteſque feros, valleſque cauas;

Et quos pelagi tollit Erinnys,
Et quas pelagi ſpiritus æquat;
Hæc irati portenta maris
Meus eſt iterùm formare labor.
Placet hæc ſpecies, ſed ficta placet.
Age plaudentum turba Sororum,
Soboles leuium mitis aquarum,
Sunt hæc noſtri regna theatri;
Maris vndantes pingite fluctus.
Hîc docta manus prouocet artem,
Hîc fingat acu quæ vera putes;
Quæ ſi videat Neptunus, amet:
Quæque vndarum ſedula nutrix
Feciſſe priùs Natura velit.
Quis ſcit, an vndas Regia noſtras
Apis inuiſat? littora circùm
Exprime flores, finge liquores
Trama ſalubres: nectare puro
Sidera ſudent: liquor aſtrorum
Idem eſt Apium liquor errantum.
Cernis, vt Apium color eſt aurum?
Idem eſt volucrum color aſtrorum.
Nempe hoc etiam nomine Cælo
Placet hæc Ales, quòd & aſtra placent.
Cælum ac terras ſidera complent;
Vtrimque micant, vtrimque volant.
Meliore tamen ſorte beamur,
Quòd viua volant ſidera terris.

VATICINIVM DE TEMPLO QVOD ILLVSTRISSIMVS CARD. LVDOVISIVS ROMAE FVNDAVIT S. IGNATIO LOYOLÆ.

ODE XI.

O Nata moles ſidere proſpero,
Futura quondam tu quoque ſiderum
Confinis, ingentemque ſummo
Inuidiam poſitura Cælo!
Non te ſiniſtrâ luce ſupercilî
Saturnus atrox, non ſocialium
Connubia aſtrorum profanis
Ominibus metuendâ terrent.
Felicioris lumine dibaphi
Tibi ſerenam fax geneſim creat.
Accede natali benigno:
Nempe tuum LVDOVICVS aſtrum.
Hac luce fauſtam ducis originem,
Hac ſortieris conſimilem exitum.
Tu ſperne, quid funeſta cornix,
Quid numeri Babylonis edant.

Vides,

Vides, vt altis foſſa receſſibus
Pandit ſubactam gleba voraginem?
Decreſcit ad Manes profundos;
Vt faciat tibi terra cunas.
Euiſceratur Roma vetuſtior;
Vt te capaci parturiat ſinu;
Aſcendit ad lucem, ſuiſque
E tenebris rediuiua ſurgit.
Tibi cauatis ſub penetralibus
Minerua ſedem ſaxea deſerit:
Tibi vetuſtatis ſuperbas
Exuuias vomit ima tellus;
Quin & Latini filia Tybridis,
Incluſa longi carcere fornicis;
Intra reſorbentes cauernas
Vena ferax properantis vndæ;
Ne deſtinatis ſit mora molibus,
Arcana terræ viſcera liberat:
Abſcedit inteſtina Tethys,
Quam ſibi per veteres meatus
Tybris paternum poſcit ad alueum.
Sic te fluentum Rex colit amnium:
Sic artis inſtinctu negatam
Fata viam reperêre lymphis.
Fundata tanto Regia Numine
Quem polliceri debeat exitum?
Teſtis rudimentum laboris,
Qualis erit labor abſolutus.
At tu merentem ſume ſuperbiam,
Beata moles: creſce, volubilis
Secura fortunæ, ſerenum
Tolle ſupercilium. Quid Auſter

Impu-

Impunè ſæuus, quid minitantibus
Te flabra terrent orta Trionibus?
Quam nec relaxatis habenis
Mulciber imperioſus ardor
Incendiorum fluctibus obruat:
Ardebis, at non igne domabilis;
Flammæque mortalis minorem
Igne tuo iugulabis æſtum.
Cælo flagrabis proxima, mutuis
Imbuta flammis & face ſiderum;
Atque ætheri communicato
Tu ſimilem patiêre vultum.
Ardebis ipſo nomine Vindicis,
Cui dicta creſcis: lumine Principis
Ardebis ipſo, cuius aſtro
Naſceris, atque ope nutrieris.
Ardebis auro: iam tibi gemmeos
Accendit ignes ſedulus artifex:
Iam ſurgit in flammas pyropus,
Iam radios amethyſtus armat,
Onyxque, ſummos Arabiæ impotens
Fouere montes: Cyprus iaſpides
Sternit pauimento ſuperbos.
Quæ nitidus geret ora fornix?
Cultu calebis denique Numinis,
Sanctiſque Cæli Relligionibus:
Quæ vota ſuccendent Quirites
In ſimiles abitura flammas?
In te profundis bella Gigantibus
Romanus acri militiâ inuehet:
Tu campus, in quo ſæpè Virtus
In Vitium ſinuabit arcum.

In

In te pudicos finget honeſtior
Palæſtra mores: tu Capitolium,
In quo triumphatura ſedem
Imperij Pietas locabit.
Aſcende Cælum, ſurge domeſticis
Contenta flammis; naſcere nubium
Regina, quamprimùm coronet
Aërium diadema frontem.
Incumbat alto regia vertici
Teſtudo celſis fulta paraſtatis:
Te patriæ fortuna Romæ,
Te genius Domini antecedit.
I, perge quò te fauſta neceſſitas
Inuitat, auctor ſat præit omina:
Felicitati iuncta Virtus
Nil prohibet ſuperare magnum.
Illo & decori fœderis arbitro,
Inuſitatam nuper adoream
Germanus armorum redemptor
In patrias reuocauit arces.
Teſtis reorum turba rebellium,
Potens ahenæ Dacus arundinis,
Cimberque regnaturus Albin,
Si reſidem pateretur hoſtem.
At conſüeto Marte minacior
Inſanientem Tillius impetum
Infregit, vltricemque dextram
Torſit in exitium Tyranni;
Qui fertur acri milite turgidus,
Et ſupplet aſtu quod fidei negat:
Cauſſâque tantumdem laborat,
Quantum animis numeroque gaudet.

Sed,

Sed, Tillianis tela rotantibus,
Cedit retrorſum exercitus inſolens:
Turbamque ſacris infidelem
Turba Deo ſocialis vrget.
O quàm frequenter mole cadentium
Pulſata crimen terra redarguit!
Quàm ſæpè proculcata denſis
Prata cadaueribus queruntur!
Extorta Diuis iura Tonantibus,
Abrupta Regum fœdera, perfido
Dictas ſacramento cohortes
Supplicijs fabricare pennas:
Et prauitatis damna luentibus
Aptare pœnis pondus, vt ocyùs
Siſtant nocentes, & flagello
Promeritos grauiore plectant.
Iam nota victos teſſera deſerit,
Iam ſigna ſæuis tincta cruoribus
Erepta victorem fatentur,
Iam fidei documenta præbent.
Quæ nunc ab Iſtro miſſa Alemannico
Vexilla Tybris Romuleus videt,
Et Roma, proles dura Martis,
Sed genitrix generoſa Pacis.
Hoc FERDINANDVS nuper honoribus
Ignatianis exuuium addidit:
Vt fraudis hoſtilis trophæum
Et propriæ Pietatis eſſet.
Tu creſce Moles; hæc tibi gloriam
Vexilla ſeruant: iam cupiunt tuo
Pendêre Cælo: te morantur,
Donec iners adoleſcat ætas.

Te

Te Roma dicet cùm benè creueris
Æquatam Olympo, ſed Domino imparem.
Quantumlibet creſcas, Patroni
Numquam animum meritumque vinces.
Hæc te viciſſim dextera deprimit,
Quæ tollit aſtris: nam LVDOVISIO
Auctore magno te minorem
Ipſa facit tua celſitudo.

AMOEBÆVS,
SIVE
OFFICIOSA VIRTVTVM,
PRÆSERTIM
RELIGIONIS ET FORTITVDINIS CONCERTATIO,
VTRA MAIOREM SIBI PARTEM VINDICET
IN SERENISSIMO LEOPOLDO AVSTRIACO.
ODE XII.

VIRT. Princeps Auſtriadum gloria Principum,
Qui, quamquam nitido ſanguine purpuras,
Et gentilitio ſole meridiem
Splendoris patrij candidus explicas;
Plus tamen rutilæ mentis honoribus
Fulges,

Fulges, atque animo vel genus occupas:
Audi, quæ placidis dulcia vocibus
Exercent ſociæ prælia Virgines;
Nam tu materies vna canentibus,
Tu iudex aderis bella parantibus.
Ergo, ne proprij nominis inuidus
Te furare tuis, Maxime, laudibus:
Sed, quamquam nimium poſcimus, admoue
Pectus, ô LEOPOLDE, ad citharæ modos;
Atq; audire velis quæ facere haud pudet.

RELIG. Illa ego ſtabilis forma colentium,
Magni Relligio Numinis arbitra;
Numquam ſplẽdidior, quã mihi debitum
Cùm ſenſi LEOPOLDVM, & mea ceteris
Præponi meritò iura Sororibus.

FORT. Illa ego intrepidi nominis & rei
Virtus, belligeræ præſes adoreæ,
Dextrâ Virgo potens, mente potentior,
Tunc verè omnipotens, me quoque fortior;
Cùm tu iure meus diceris Hercules.

VIRT. At nobis dabitur pars quota Principis?
Et nos tangit amor pectoris aurei.
Princeps viue diu, viue cor omnium,
Vnus quandoquidem par eris omnibus.

RELIG. Ille & ſidereis obſequijs pius,
Multorum capitum contudit hæreſim:
Ac, ne fœda iterùm colla repullulent,
Tedâ flammiuomi pectoris imbuit.

FORT. Ille & belligeros fortis ad impetus,

Fregit

Fregit ſæpè manu tela rebellium,
Et frangenda iterũ, ſi quà iterùm tonent,
Numquam, ni ſpolijs obrutus hoſtium.
VIRT. At tu viue diu, viue cor omnium,
Vnus quandoquidem par eris omnibus.
REL. Plus eſt, Tartaream ſternere belluam.
FORT. Rebellis tamen & bellua idem ſonant.
REL. Sceleſtos domuit, qui domuit ſcelus.
FORT. At tu frange malos, vt mala corruant.
REL. Sacrorum obſequio fit fuga criminis.
FORT. Armorum imperio fit mora Numinis.
REL. Nequit ſtare diu quod ſtetit impetu.
FORT. Nemo blanditijs monſtra coërcuit.
REL. Sed cui verba damus? Iudice te, meum
Cor eſto, LEOPOLDE. FORT. At potius meum.
VIRT. Et nos tangit amor pectoris aurei.
Vos conſanguineæ dicite Virgines;
Viue cor, LEOPOLDE, omnibus inſitum.
Princeps viue diu, viue cor omnium,
Viuax Auſtriaci gloria ſanguinis.

AD LÆLIVM GVINISIVM FRATRIS FILIVM

PARÆNESIS.

ODE XIII.

NOn tibi mutum ſine corde nomen,
Moris aut priſci rude, non ſupellex
Curta virtutis, neque deſtitutum
Pectore corpus:

Indoles ſat te tua, ſat peractum
Prouidè tempus leuioris æui,
Et vel irato placitura quondam
Vota Catoni
Admonent, Læli, meliora vitæ
Sæcla traduci, quibus imperatrix
Præſidet Virtus, & amœna legem
Præbet Honeſtas.
Aureus recti tenor, & decori
Cura ſeruati, mediumque rerum
Additum extremis,ſed vtrimque certo
Fine reductum
Dicitur Virtus celebrata multis,
Nota quàm paucis! & in ore pulchrum
Nomen; at rarus, quod honore palpat,
Moribus æquat.
Tu caue, ne quò vaga penna mentis
Erret indulgens ſibi; nequid exlex
Peccet affectus: flagret inter æqui
Septa cupido.
Sit voluptati modus, ara ponat
Terminum votis, libeatque tantùm
Quod licet; nec te patiatur vltrà
Ire voluntas.
Deme perſonam faciemque rebus.
Damna non raró phaleris teguntur:
Quæ iuuant, ſordent; & imago veri
Hæret in imo.
Languet annoſis equus æger armis,
Obſitus turpi macie; nec audit
Dexteræ plauſus, & ahena duri
Claſſica Martis:

Sed

Sed tamen cultu mala diffitetur,
Et ſuperiecto iuueneſcit oſtro.
Pompa venalem facit: at latentem
In cute culpam.
Forma non lenit, ſeniúmve mutat;
Quæ magis morbum grauat obſidendo
Sarcinis, præter ſpeciem daturis
Nil niſi pondus.
Ille vel multo pretioſus auro
Denique inceſſu ſua damna prodit;
Nec fit ornatu leuis, at ferendo
Ilia ducit.
Fallit emptorem vitioſa merces
Credulum votis, & inaurat ægram
Arte naturam, niſi bracteatum
Syrma reducis.
Calcat Ægæum vaga pinus æquor
Peliæ proles generoſa ſiluæ,
Picta turritum latus, & rubentem
Murice puppim.
Rima ſed furtim fugit occupatos
Luce pigmentorum oculos, & imbrem
Accipit nautis inimicum, & vndis
Obruit alnum.
Vrit, heu quantum! ſed & ardet ignis,
Splendidè mordax: radiant cometæ,
Qui nocent: altas ſine luce fulmen
Non quatit arces.
Crede fucato minimùm colori.
Ipſe ſol raró micat innocenter:
Quidquid aſpectum nitet, in receſſu
Nubila celat.

Diues argenti domus, aula circùm
Serico fulgens Phrygioque textu,
Albicans gemmis humus, Indicoque
Dente lacunar,
Quale tormentum fouet admouendum
Hoſpiti magno! quibus ægra curis
Corda habet! quantum latet inuidendâ
In nuce duri!
Dat ſibi pœnas animus profundo
Incubans regno ſitientis auri:
Semper eſt voti rea; ſemper optat
Cæca libido.
Vita confinis vtriuſque ſortis,
Non egens certâ ſtipe, non abundans,
Læta iam partis, opulenta quantum
Exigit vſus:
Mutat hæc Cælo meliore terras,
Hæc leues æui breuis auget horas,
Hæc moram leto facit, hæc beatos
Porrigit annos.
Qualis eſt, Læli, tua, nec paterno
Indigens cenſu, nec onuſta luxu:
In diem felix, minimùm futuro
Anxia fructu.
Si tua agnoſcis bona; liberalem
Diſce fortunam tibi, quòd negauit
Plura quàm ferres, neque te doloſo
Obruit auro.
Crede, gaudebis minùs; at dolebis
Altero tanto minùs: vtra maius
Commodum iactura ferátve damnum,
Conſule faſtos.

Hoc age, hoc ſemper meditare tecum.
Sic ſui lætam cole iuris Vrbem:
Libero ſeu tu ſedeas daturus
Iura Senatu,
Candidis ſeu Matrariæ viretis
Rura te ſeruent tua, temperato
Rura ſub cælo, quibus aura mitis
Nomina fecit.
Hic, vbi grato lare tollit altum
Verticem moles operoſa ſaxo,
Et laboratis reſidens columnis
Porticus haurit
Obuium Phœbi iubar æſtuantis:
Cuius aduerſum latus ad rigentes
Pertinet Cauros, & inhoſpitalem
Solibus aulam
Præbet. Æſtiuo redit apta cultu,
Mollis hiberno domus: hinc ſubactas
Viſus in valles patet, hinc ſupinæ
In iuga ſiluæ.
Quid, quòd aſpectus domini feraces
Fertili Baccho locupletat agros,
Villici raſtro magis & virenti
Pallade ditat?
Vt nec Albano generoſa regno
Vina decedant, nec amet ſuperbum
Bacca Tiburti nemus, aut opimum
Poma Tarentum.
Ille ſit demum tibi meta fundus,
Ille votorum modus. At ſupremis
Rebus, & magno iaculare ſemper
Vota Tonanti.

ROMÆ GRATVLATIO DE R. P. MVTIO VITELLESCO SOC. IESV PRAEPOSITO GENERALI CREATO.

Iambus purus.

ODE XIV.

QVirina Pallas, & Quirina Fauſtitas,
Beatitatis æuiterna copia,
Et Vrbis auctor imperantis vrbibus
Gemelle Romule, & gemelle Romuli,
Adeſte; ſi quis aureum premit latus
Amor, ſerenitaſque gratulantium
Sibi ſuiſque, patriæque ciuium.
Sat orba Patre vixit, orba Præſule
Cohors I E S V, & igne incdomabili
Amoris vſtulata, vix ſuperſtites
Habebat vnde fleret vda lacrymas,
Inutileſque, quos agebat, arguens
Dies, Patrem ſecuta, duxit vltimos.
At, vt vetus Parentis edidit cinis
Nouum Parentis; omen & crepundia,
Repullulante viuido cadauere,
Nouo coëgit aſſonare Præſidi.
Reuixit illa, nobilemque dexteram

Paren-

Parentis oſculata, lacrymabilem
Remolliit doloris acrimoniam:
Et, exulante mentis ægritudine,
Viciſſitudo gratulantis ingenî
In ora riſit explicata nubibus.
Gemelle Romule, & gemelle Romuli,
Adeſte; vos Amoris ad cataſtrophen
Quirinus iſte principatus euocat.
Quirinus eſt. Fatetur inde ab alueo
Tybris vetuſta doctus ire ſæcula:
Fatetur ipſa Roma, terminalibus
Caput perenne circinata montibus.
Neque hoc negat negare compitalibus
Vel aſsüeta gentis ora plauſibus,
Vel ora gentis apta lectioribus;
Vel amne flumen eloquente callidum
Ab alueis reflexa littoralibus
Noui Parentis excitare nomina.
Quirinus eſt, Quirina gratulatio.
Quid euocate, quid moraris? exili,
Gemelle Romule, & gemelle Romuli.
  At ô Parens verende, cui ſacras comas
Amans tui corona cingit, ambitu
Beatiore quàm corona Cæſarum;
Minor tibi ordo geſtit, ordo maximus
Senumque puberumque: Tu cor omnium
Manu geris regiſque: Te lubentium
Patrum Senatus edit, & vocat Patrem:
Et, vt Parens vocêre, ſolus abnuis;
Sed, vt Parens vocêre, mundus annuit
Supremus inferusque, ſideralibus
Vterque recreatus à coloribus.

Tibi rubens Eous axe feruido,
Tibi patrocinatur Orbis Occidens,
Tibi Meridianus, & niualibus
Inhoſpitalis ora ſub Trionibus:
Ego hos ſecutus aſſonante barbito
Poëta factus ad ſiniſtrum Apollinem,
Malè ominante fabricatus Alite,
Tibi tot inter accinentium choros
Tributa ſoluo inerudita carminum,
Ineptus anſer obſtrepens oloribus.
Gregalis eſt Iambus; integer tamen,
Amatque purus eſſe, ſit rudis licet:
Tuis gemellus vt ſit vſque moribus.
Vt vt tamen Poëta, cordis indices
Recondita orſa, meque dedico tibi;
Sacroſque prouolutus ad pedes precor,
Senem diebus æmulêre Neſtorem:
Meoſque, quando vixeris dies tuos,
Rotantium addat Imperator orbium.
Sat adfuiſtis: ire per Patrem iuuat,
Gemelle Romule, & gemelle Romuli.

AD SERENISS. PRINCIPEM

MAVRITIVM

CARD. SABAVDIÆ

CHARITES

PRO MARCHIONE SFORTIA PALLAVICINO,

Cùm ſub eius auſpiciis Philoſ. lauream ſuſcepiſſet in Coll. Rom. Soc. IESV.

ODE XV.

AT tu ſidereo Sole ſerenior
MAVRITI, proauis edite Regibus,
Princeps belligeræ cura Sabaudiæ,
Heroum ſoboles, æqua Parentibus,
Quamuis Romuleæ munera Purpuræ
Illuſtras veteris murice ſanguinis.
Verùm nobilitas, & genus inclytum,
Sit quamuis proprio ſtemmate maximum;
Maiorum decorùm pars quota dicitur?
Virtus eſt generis meta veterrimi,
Tam natiua tibi, quàm generoſitas.
Maieſtate quidem mens tua fulgurat;
Sed non opprimitur luce benignitas,
Quin me reſpiciat mitis, & aureos
Vultus in tabulâ pectoris imprimat.
O votis vtinam terminus, ô precor
Sit deſideriis æqua potentia!
Quas grates meritis nunc ego redderem,

Si grates liceat reddere Gratiis?
Sic fati ſuperet vim MAVRITIVS,
Et ſit maior Auis: ſic opulentiùs
Creſcat Romuleæ gloria Purpuræ,
Princeps Romulidum cura Quiritium,
Idem belligeræ cura Sabaudiæ.

AD CVPRESSVM EQVITIS VICTORII HENDECASYLLABVS.

ODE XVI.

Heri deliciæ tui, Cupreſſus,
Quam plus vnam oculis amat duobus
Fundi luxuriantem in vmbilico,
Salue illa mihi plurimùm ſalute,
Quam Cælo Pater imbrium ſecundâ
Partiri ſolet irrigatione.
Non te Dis malus, & gemella Ditis
Funeſtos Libitina per triumphos
Aut incendia paſcere, aut ſuperbis
Impalleſcere vidit in ſepulcris.
Immortalia ſperat, æuiternum
Quiſquis te videt educare truncum,
Nec ſæuam cariem, nec inquieti
Morſus temporis inuidos timere.
Te circumuolitat cohors Amorum;
Te Nymphæ, Venereſque, Gratiæque,
Inter oſcula mille, mille plauſus,
Humanæ eſſe negant manus laborem.

Ad te ſubdolus exilire gaudet,
Quando ſe rapit & ſuos ſodales
Sileno Satyriſcus è magiſtro.
At tu, qui tibi plaudis in Cupreſſu,
Victori, lepor omnium leporum,
Rebus conſule, ſi ſapis, ſupremis;
Et furtum caue, quod malè ominantur,
Hortos dum Charites tuos frequentant.
Quis ſcit, an patrio reuulſa fundo
Permutet Dominum recente priſcum,
Cupreſſuſque ſit illa Gratiarum?

DE PRIMO ET PRIMIANO VRSINIS FRATRIBVS qui Romam ab hoſtibus vindicarunt,

ACCLAMATIO.

ODE XVII.

ROma ſeruili reſoluta nodo
Liberum mundi caput. O Latini
Sanguinis Pubes, age præliarem
Plaude triumphum.
Victus abſceſſit modò victor hoſtis,
Barbaros ſecum rapuit tumultus,
Rurſus aſſuetum iuga ferre collum
Sub iuga duxit.
Grande par Fratrum, geminiſque compar
Fratribus, quorum ſtetit arbitratu
Roma, nunc veſtris humeris cadentem
Tollitis Vrbem.

Nec Palatinam vaga vos ad vmbram
Lacte nutriuit Lupa belluino:
Sed triumphorum genitrix honeſto
Gloria ſucco.
Roma victores famulata faſces
Ponit Vrſino; pia Primiane
Roma ſupponit tibi feriatas
Pace ſecures.
Roma ſi viuit, tibi viuit vni:
Roma ſi collo mala ſeruitutis
Vincla diſſoluit; mala vincla collo
Te duce ſoluit.
Vrbe ſeruatâ, cape Martialem,
Imparem quamquam meritis, coronam,
Dignus ingentem redimire multo
Sidere frontem.
Te decet vultu Roſa purpurato;
Aptus eſt veſtris color is triumphis:
Quos puellaris manus allaborat,
Indue flores.
Gentis hoc magnæ decus, hæc ſequentum
Nobilis quondam nota poſterorum.
Tamdiu viues, Roſa dum ſereno
Vere redibit.

VIN-

VINCENTII GVINISII E SOC. IESV POESIS EPIGRAMMATICA.

Anni dies natalis.

EPIGRAMMA I.

QVòd noſtri benè ſæculi ſalutem,
Qui vitam modò terminarit Annus,
In cunis iacet excubatque, fato
Denatus ſimul & renatus vno;
Senex interiit, puer reſurgit.
Mors breuiſſima ſuſtulit volentem:
Nec quidquam fuit illa, quàm minutum
Punctum inter pueritiam & ſenectam.
Quin, vt nobiliore creſcat ortu,
Prætextam puero Puer clienti,
Non de purpureæ liquore conchæ,
Sed de ſanguineæ rubore Vitæ,
Succo nempe ſuo Deus colorat.
En, quid denique profuit, benigna
Mortis tempora noſſe demorari,
Et Vitâ exoriente deperiſſe.
Tantùm, vt nominis arte ſic & ortu,
Gaudet eſſe gemellus Annus Agno.

Ad Puerum IESVM.

EPIGRAMMA II.

DIue, Cælum oculis perenne geſtas,
Et, ſi quid magis eſt perenne Cælo.
Mens affixa Amor eſt; hic vnus Ales
Tuis præſidet orbibus rotandis:
Qui mouentur ab Occidente numquam,
Semper ex Oriente Charitatis.
Hinc vitæ polus, hinc polus ſalutis,
Circùm, ſidera mille gratiarum.
At, pupillam oculis ſitam duobus
Credas ætheris huius eſſe ſolem;
Ni nigerrima peccet in colorem.
Sed, quamuis nigra, lucet, ardet, vrit
Puro ſole magis. Niſi ergo Cæli
Sol eſt pupula; ſit, quòd ipſe totus
Es Cælum breue, totus ipſe Sol es,
Totus pupula, Pupule, es tuorum.

Ad Simeonem, Puerum IESVM *geſtantem.*

EPIGRAMMA III.

GEſtabas Puerum Simeon, lacrymâque loquaci
Optabas vitæ iam grauis eſſe ſatis.
Fortunate Senex, geris inter brachia Vitam;
Credis & hæc inter munera poſſe mori?
Hic te donaret vitæ, ſi mortuus eſſes:
Quid mortem à Vitâ, vota ſiniſtra, petis?

Do

De MAGIS *ad* CHRISTVM *Puerum profectis.*

EPIGRAMMA IV.

VT Solem videant naſcentem ad munera vitæ,
Extremo veniunt ex Oriente Duces.
Hæc erat, vnde abeunt, potiùs ad Regna petendum;
In quibus exoritur manè reuecta dies.
Quidquid agant ſoles, quos lurida nubila cōdunt;
Sol meus in Regnis naſcitur Occiduis.

Vnus ex MAGIS, *qui aurum offert.*

EPIGRAMMA V.

EN tibi quæ tulimus ſupremo è limine mūdi;
Tu mea, non ſine me, ſuſcipe dona Deus:
Nec mortalis eges, idem Puer aureus, auri;
Qui ſis, non quo egeas, munera noſtra docēt.
Aurea dona fero, quia ſunt mihi ferrea corda;
Hæc quoque cùm facies aurea, Diue, feram.

De Stellâ Magorum.

EPIGRAMMA VI.

DVcit ab Eoo populorum examina Sidus,
Nec ſeſe aſpectu ſubtrahit vſque Ducum.
At, cùm Bethlemias radiis propè deſpicit oras,
Quà IESVS tenui membra locabat humo;
Fax ſubitò ex oculis euanida ceſſit in auras.
Et benè; vicino ſidera ſole cadunt.

Ad Sanctos INNOCENTES.

EPIGRAMMA VII.

SAluete ô primo fortes in limine vitæ:
Vos, Pueri, flores quis neget eſſe Dei?
Scilicet humano prognati nuper in horto
Ante Deum caditis, non tamen ante diem.
Priſca fides taceat, flores è ſanguine naſci;
Nunc ipſis cruor è floribus exoritur.

De niuibus ante peruigilium Natalis DOMINI *de Cælo cadentibus.*

EPIGRAMMA VIII.

ASpicis, vt puro ſub vellere candicat orbis,
Venturoque niues prænituêre Deo?
Pompa quid hæc tandem? an læti bellaria Cæli;
Quandoquidem terræ Sponſus amantis adeſt?
Sudor an aſtrorum curſu maiore volantum,
Naſcendi vt Domino tempora cara ferant?
An Puero veniens cæleſtis copia lactis?
Canitiéſne annum teſtificata ſenem?
Quidquid id eſt, Diuine Puer, feliciter audet,
Dum pia te prenſans albet & ambit humus.

Ver ad IESVM *coronâ ſpineâ præcinctum.*

EPIGRAMMA IX.

POne cruentatam Diuinâ è fronte coronam,
Quam tibi de ſpinis impia turba dedit.
Indue iam flores; nam quas ſpina inuida præfert,
Non tulit ætherias, abſtulit ipſa, roſas.

Gratia

Gratia quæ veniet vernis vel floribus, ex te;
Cuius in aprico vertice floret hiems?

De violâ in CHRISTI *Domini pœnis florente.*

EPIGRAMMA X.

ME iuuat, ante alios flores, torpentia circùm
Gramina pallentes explicuiſſe genas.
In Domini pœnis pudet oſtentare pudorem;
Aptior eſt mundi luctibus iſte color.
Quamquam, ſi neſcis rerum miracula, diſce:
Pallentem Domini me facit eſſe rubor.

De eodem argumento.

EPIGRAMMA XI.

PAllida ſum, fateor; ſed quid pallore decenti
Pulchrius? is toto regnat in Orbe color.
Pallidus eſt Titan, ſunt ſidera liuida: Cælum
Liuet, & in Cælo pallida luna micat.
Mirarer, ſi non pallerent omnia; quando
Pallet, qui vultu cuncta colorat, Amor.

De lacrymis MAGDALENÆ *ad pedes* IESV.

EPIGRAMMA XII.

QVid lacrymas oculis ſtillas, pia Magdala? credis
Diuinos guttis poſſe cauare pedes?
Hos ferrum non vnda cauat: ſatis illa cauabit
Cor tibi, quæ pedibus profluet vnda cauis.

Ad

Ad MAGDALENAM, *corpus* IESV *quærentem*.

EPIGRAMMA XIII.

MAgdala, quid ploras? Domini quid mortua quæris
Pignora? quàm tibi te cogit abeſſe dolor!
Si neſcis, Dominum rapuiſti tu ipſa, tuumque
In quo ſeruatur, cor mihi teſtis erit.
Cor ſcrutare, Deum inuenies; niſi cor tibi IESVS,
Vt furto furtum hoc expiet, eripuit.

De S. PRISCA *leonibus obiectâ.*

EPIGRAMMA XIV.

ROmula biſſenos vix Priſca peregerat annos,
Cùm datur Hyrcanis dilaceranda feris.
Illa quidem forti ſtetit imperterrita vultu,
Sed Leo Virgineos concidit ante pedes.
Quid mirêre priùs? factámne repentè Leonem
Virginem, an in mores Virginis iſſe feram?

De S. CALLIOPE *Martyre.*

EPIGRAMMA XV.

DIua, tuum Muſæ nomen: neq; peierat omen,
Quando Aganippæâ ditior vnda tibi eſt.
Altera carmen alit; ſed & abluit altera crimen:
Ille rigentis aquæ, ſanguinis iſte liquor.
Diſparibus votis; illum pede Pegaſus haurit,
Hunc dextrâ miles: par ſed vtrique furor.
Crimina ſiue igitur mundas, ſeu carmina mandas;
Non alia aſpiret iam mihi Calliope.

Ad S. CATHARINAM *Senenſem.*

EPIGRAMMA XVI.

SPinea tu, Catharina, capis, non florea ſerta,
Dum tibi geſtandum CHRISTVS vtrumque parat.
Credo, ſatis florum tua iam tibi terra miniſtrat;
At contrà ſpinas non tua fundit humus.
Vt florum Regina fores, & Regia odorum;
Deficis hoc vno, cetera Veris habes.
Nunc tibi cùm ſpinas Sol educat, inſere fronti.
Denique te faciet ſpina gemella Roſam.

Ad Sanctam CÆCILIAM, *Euangeliorum librum in ſinu ferentem.*

EPIGRAMMA XVII.

VIrgo, nobile Numinis volumen,
Et ſummi digito Dei exaratum,
Nil mortale ferens niſi figuram,
In ſinu geris intimo repoſtum.
Non tu Cæcilis es, quod & vocaris;
Ipſum facta redarguere nomen.
Vidiſti benè, dum grauem libellum,
Qui Verbum breue continet, locares
Inter brachia pectoris profundi.
Vitæ bibliotheca, pectus ipſum eſt:
Et cor nidulus vltimus; quid ergo?
Dum vitæ reſeras in æde Vitam,
Quo volumine pectus & cor imples,
An iſthæc vacet officina morti?

De S. MARGARITA *Scotiæ Regina.*

EPIGRAMMA XVIII.

REgales aulæ faſtus, & plurima vitæ
Commoda, Reginæ nomē & omen habet.
Regales tamen vrbis opes, gazaſque ſuperbas
Spernit, & exiguo victitat illa cibo.
Vellet inops fieri: ſed, ſe dum poſſidet ipſa
Margaris; incaſſum, crede, feratur inops.

De S. BASILIO.

EPIGRAMMA XIX.

IAm calamum cepit manus imperioſa Tyranni,
Vnde tibi, ô Baſili, cederet exilium.
Ille auerſatus mala munera, ſubſtitit inſons,
Et nullam impreſſit exhibuítve notam.
Perfide, cui ſemper leuitas in pectore vixit,
A pennâ exemplum nunc grauitatis habes.
Illa ſapit: ſiquidem huic pudet atramenta referre,
Cuius ab ingenij candida lacte fuit.

Ad S. SYMPHORIANVM.

EPIGRAMMA XX.

DVm te ſupplicijs torqueri, Diue, videret
Perdendo melior, quàm generãdo, Parens:
Nate age, delicijs fruere illecebriſque dolorum;
Et modò ſpe vitæ fac moriaris, ait.
Magna Parens, quis te verè neget eſſe Parentem,
Quæ natis ipſo in funere das animum?

Ad S. SIMEONEM STYLITAM.

EPIGRAMMA XXI.

STas ſuper ingenti Simeon immote cylindro,
Nec tibi ventorum prælia crebra nocent.
Sic ſtabant ſimulacra ingentibus alta columnis,
Ad viuum expreſſos ore imitata Duces.
Qui te hominē dicat, quàm verè ſaxeus idem eſt;
Qui non te ſignum Numinis eſſe videt.

SS. IVSTI & PASTORIS *è ludo litterario ad mortem pro* CHRISTO *abeuntium voces.*

EPIGRAMMA XXII.

ITe agite, ô viles tabulæ, quas neſcia veri,
Et vitæ indocilis littera multa notat.
Nos melior reuocat vera ad ſpectacula ludus,
Paginaque è noſtro ſcripta cruore placet.
Iam nunc laureolam Sapientia cognita defert:
Et didicêre ſatis, qui didicêre mori.
Vix ea; & abiectis properant ad fata tabellis.
Siccine fit tandem vita magiſtra necis?

Ad S. VINCENTIVM *Martyrem.*

EPIGRAMMA XXIII.

NOn ineſt tibi nomen otioſum,
Vincenti; ipſum animo vocamen imples,
Et ſenſum facis eſſe dictioni.
Iaces in medijs rogis, nec ardes:
Sed flores ais eſſe, quas Tyranni
Inclementia vellet eſſe prunas.

Nimi-

Nimirum eſt alibi ardor occupatus,
Atque ipſum magis vrit admouentem.
Nil ex igne gerit, niſi ruborem
Et auræ tepidiſſimæ flabellum.
Dum te quippe Tyrannus excitatis
In flammis videt haud habere flammas;
In rogo iacet ipſe, ſed furoris.
At, cùm tutus ab igne collocaris
Inter ſtrata rubentium roſarum,
Hîc ignem reperiſſe te fateris,
Quem nuper tibi denegarat ignis;
Et rogum roſâ in algidâ experiris.
Hîc demum cadis, occubaſque leto;
At caſus generoſior triumpho eſt,
Et victo tibi victor ipſe cedis.
Sed vincis quoque victus: imò vinci,
Ipſum eſt vincere. Glorioſiora
Tantò prælia, quò minùs perurunt
Flammæ incendia, quàm gelu roſarum.

S. FELICITAS *hortatur Filios, vt mortem pro* CHRISTO *generosè ſubeant.*

EPIGRAMMA XXIV.

ITe, mea ô quondam, nunc CHRISTI pignora, dixit,
Dum Natos mortem vidit adire Parens:
Ite, & magnanimo teſtetur ſanguine Virtus,
Non vos feminei germinis eſſe genus.
Vos ego ponè ſequar: quæ veſtræ credita vitæ
Mater eram, veſtræ filia mortis ero.
O pluſquam Mater, bis prolem enixa! nec illud
Extinxiſſe genus, ſed peperiſſe fuit.

De S. Ignatio Loyola, *cuius in ſepulcro viſa ſunt ſidera.*

EPIGRAMMA XXV.

LOyolæ dudum extincto pia funera dicit
  Roma, ſepulcrales & facit inferias:
Ad tumuli Cælum, & faſtigia funebris vrnæ,
  Elucere diu ſidera clara videt.
Quàm bene! Sol nuper letalibus occidit vndis:
  Miraris, famulæ ſi micuêre faces?

Ad Eumdem, aſtrorum aſpectu fruentem.

EPIGRAMMA XXVI.

DVm ſuperis oculos Ignatius explicat oris,
  Factus & aſtrorum concolor, aſtra videt;
Sordet iners mihi terra ſuis cum floribus, inquit:
  Vna dies perimit, quos parit vna dies.
Pace tuâ, Ignati, iactet ſua ſidera Cælum:
  Dum te florem habeat, non mihi ſordet humus.

Ad Eumdem, aſpectu ſiderum lacrymantem.

EPIGRAMMA XXVII.

AStráne tu ſpectas magis, an ſpectaris ab aſtris,
  Dum Cælo, Ignati, nocte ſilente vacas?
Scintillant tacitè, & nictant tibi ſidera Cæli:
  Sed tua conniuent tam benè ſideribus;
Vt luces equidem modò contemplatus vtraſque,
  Ecquinam Cæli ſint oculi, ambigerem.

Aſtra

Aſtra tibi demum illacrymant, & luce liqueſcunt;
Nec dees tu lacrymas reddere pro lacrymis.
Exoritur ſaties, & rurſum mutuus ardor:
I nunc, & paſci ſidera rore nega.

De S. FRANCISCO XAVERIO *Soc.* IESV: *cuius extincti de latere ſanguis & aqua prodijt.*

EPIGRAMMA XXVIII.

FRanciſci in latus extincti feliciter audax
Exploraturâ contulit arte manum.
Contulit: extemplò de cordis parte ſiniſtrâ
Plaga hiat, è plagâ ſanguis & vnda fluit.
Franciſcum Domino ſimilem qui fortè negaret,
Huic oculos poterat, credo, aperire liquor,

De Eodem, ſuper funem anchorarium in naui quieſcente.

EPIGRAMMA XXIX.

ANchorarius, orbe conglobato,
Et ſpiras reuolutus in ſupinas,
Funis in mediâ iacet triremi;
Huc ſe Xauerius frequenter vrget,
Si quid deſidis otij repoſcit
Virtus feſſa laboribus diurnis:
Et duro ſuperincubans rudenti,
Plus fallit prece, quàm ſopore, noctem.
Iam ſecura perambulet procellas,

Aut

Aut ſæui maris, aut minantis Orci:
In tuto ratis eſt ; haberque funis
Anchorarius Anchoram ſalutis.

De B. ALOYSII *Innocentiâ.*

EPIGRAMMA XXX.

NVmquid es ingreſſus theſauros fortè niuales,
Gonzaga, ô primis candidior niuibus?
Sic tibi torquatum gemmarum linea collum
Ambit, & ad pectus ſic cadit albus onyx.
Clàm tamen hæc oculis decorat pompa inclyta mentem :
Nam debent procul à Sole latere niues.

De ſacro Ieiunio.

EPIGRAMMA XXXI.

DEſinite in medio ieiunia quærere luxu,
Atque inopem victum dicere mille dapes.
Ingluuies eſt, & rabies fœdiſſima ventris,
Siue ſit hæc Cælo ſeu ſaturata mari.
Ieiunum non eſca facit quæſita ſub vndis :
Mutant delicias æquora, non prohibent.

De eodem.

EPIGRAMMA XXXII.

O Nos felices, ætas ſi priſca tuliſſet,
Primores epulis abſtinuiſſe Patres !
Non fera mors rigidam cœpiſſet ducere vitam :
Qui mortem peperit, nos cibus ille necat.

Ergo age, tu morti ieiunia crede venenum:
Vis morti vitam demere? paſce fame.

De eodem.

EPIGRAMMA XXXIII.

QVid iuuat exiguis ieiunia ponere menſis,
Et ſeſe tenui debilitare cibo;
Si grauis eſt vitijs animus, ſi pectus onuſtum
Criminibus, ſaties ſi tibi nulla mali eſt?
Non domat is corpus, dapibus qui parcit opimis:
Qui vitijs animum non alit, ille domat.

De eodem.

EPIGRAMMA XXXIV.

AVrea pauperies, inopique cibaria victu,
Et modicis vix in lancibus herba viret.
Nobis terra ſatis, de Cælo nulla ſupellex;
Sed vis, delicias quæ negat, illa facit.
Et ſua terreſtres animant bellaria cœnas;
Conditur, ſi quæ deſipit eſca, fame.

De ſacro Cinere.

EPIGRAMMA XXXV.

SOrdeat ille licet capiti Cinis inſitus alto,
O quantum miræ fertilitatis habet!
Nam ſubitò cœpit virtutum erumpere meſſis,
Et domino ſegetem reddere mentis ager.
At tu, qui Cinerem dicebas, deſine falli:
Non Cinis, at ſemen Religionis erat.

In Perſonatos.

EPIGRAMMA XXXVI.

O Factum malè! mutatur perſona: ſed, ore
Mutato, ſtabilis mens ſcelus vſque gerit.
Vnuſquiſque velit, quod nón eſt poſſe videri:
Idque quod eſt, facie diſſimulante, negat.
Deberes animo natiuum reddere vultum:
Si vis perſonam ſumere, ſume tuam.

In Funambulum.

EPIGRAMMA XXXVII.

QVis nouus hic cælo ſuſpendit Dædalus alas?
Sed vereor, ne ſors Icaron eſſe probet.
Aſpicis, vt tenui feliciter audet in aurâ;
Ceu ſubeat ſtabili ludicra bella ſolo?
Fune ſuper tereti tutiſſimus errat, & artem
Ludere dum geſtit, luditur arte timor.
Hîc choreas impunè ciet, ſeſeque ſupinum
Librat, & intorto turbine corpus agit:
Argutat pedibus, tremuloque per aëra ſaltu
Tollitur; erectus ſed tamen inde redit.
Nec mora, nec requies; iterùm ter pectus in altum
Surgit, & in gyrum ter vaga membra rotat.
Corpore dum pendet, ſolâ ceruice tenet ſe,
Et verè ad reſtim colla redacta gerit.
Tum ſimulat caſum; populoq; timente, timorem
Ridet qui populi vota timere facit.
Quin, capite obuerſo, totus pede pendet ab vno;
Dumq; pedem abſoluit, dextera ſupplet opem.

Iam iam caſurus redit, incertumq́ue theatrum,
  Quas iubet in partes, ſpeq́ue metuq́ue trahit.
Nec ſolus pendet; ſed enim pendentia ſecum
  Vno ex fune tenet millia multa virûm.
O viles animæ, & venalia pectora paruo:
  Sæpè quibus merces eſſe ruina ſolet!
Non ſat terra vias habet & diuortia leti;
  Vt iuuet in cælo quærere mortis iter?
An ſemper vobis ſubeunda pericula cenſus,
  Atque omnis fundus denique funis erit?
Cùm reſtim aſpicitis protenſam, dicite: Forſan
  Vltima iam vitæ linea ducta meæ eſt.

Ad GREGORIVM XV. *Pontificem Max. de primo in Capitolium ingreſſu.*

EPIGRAMMA XXXVIII.

INgredere, ô felix, meritiſque aſſueſce futuris,
  Nempe rudimentum nobile laudis habes.
Roma tuis pandit Capitolia celſa triumphis:
  Quod tibi principium eſt, finis honoris erat.
Quæ ſurgunt ſaxo Capitolia, crede minora,
  Quàm tibi quæ proprio è pectore Roma facit.

De Card. LVDOVISIO *creato.*

EPIGRAMMA XXXIX.

IAm pro Sole ſuo Romani munera cæli
  Obtinet ingentis nobile germen Aui.
Illi Sol currum conceſſit auunculus, illi
  Ipſe ſuum ingenij pondus habere dedit.
Iam lucem regat, & cælo ſecurus oberret
  Qui præter ſtirpem nil Phaëthontis habet.

De Trunco Mineruæ reperto in exſtruendâ Templi areâ, quod S IGNATIO LOYOLÆ *erigit Illuſtriſſ. Card.* LVDOVISIVS.

EPIGRAMMA XL.

VT Loyoleo ſtatuat fundamina Templo,
Percutit ærato dente redemptor humum:
Percuſsâ tellure, leues ad luminis auras
Saxea, ſed trunco corpore, Pallas adeſt.
Tu, ſi neſcires aliunde hanc Pallada; diſcas,
Quòd duro ad lucem verbere nata venit.
Ex capite orta Patris quondam, nunc Matris ab aluo,
Hoc vno differt nomine Virgo ſibi.
Nam quòd trunca oritur, facit vt tibi pectus adoptet;
Imponatque ſibi te, LVDOVICE, caput.
Excipe tu facilem: ſic nectens vltima primis,
Ad caput, vnde abijt, noſtra Minerua redit.

De Capite humano, inter eiuſdem Templi fundamenta inuento.

EPIGRAMMA XLI.

QVà fundamina ſumptuoſa Templo
Imponi LVDOVICVS imperabat;
Inter rudera foſſa, ſub repoſtis
Humanum Caput exſtitit cauernis.
Antiquæ noua Roma comparatur:

Par omen ſimilem exitum repoſcit.
Ergo, quiſquis amas videre Molem,
Non tu ſurgere Templa; ſed ſuperbum
Templorum Capitolium videbis.

De Riuo perennis aquæ reperto iaciendis eiuſdem Templi fundamentis.

EPIGRAMMA XLII.

QVà Loyoleas fundat LVDOVISIVS Ædes,
Defoditur riuo ſemper eunte liquor:
Cur non, IGNATI, potiùs tibi ſurgit in ignes,
Nominis atque tui concolor ardet humus?
Credideram, ex facibus fluuios decurrere lucis;
Vt video, ex flammâ flumen abundat aquæ.
Súntne tuæ hæ lacrymæ, quo iam ſuper amne Tonanti
Fundaras Templum pectoris ipſe tui?
An, quas tu caſto ſacraras pectore lymphas,
Hæ tibi nunc grato rore tributa ferunt?
Sed reor, hoc, quem tu Vitæ de fonte rependis,
Principis & vitam & vota liquore rigas.

De Cardinali LVDOVISIO, *primum* IGNATIANI *Templi lapidem iaciente.*

EPIGRAMMA XLIII.

LOyolæ vt ſummam LVDOVISIVS erigat Ædem,
Non modò præſtat opes, ſed pius addit opem.

Ipſe

Ipſe ſuâ iam prima manu fundamina Templi,
An propriæ culmen Relligionis agit?
Quæ rerum hæc ſeries, vt iactum in Tartara ſaxum
Auctori æternam fundet in Axe Domum?

Ars Veſtiaria, ornando IGNATIANO *Templo opportuna, ad Cardinalem* LVDOVISIVM.

EPIGRAMMA XLIV.

Filia ſum primæ, ſed non & conſcia, culpæ;
Et de matre tuli nil niſi ſeruitium.
Nam veteres texi frondoſâ veſte Parentes,
Quos puduit nudi criminis eſſe reos.
Me ſacram IGNATI reuocat LVDOVICVS ad aram;
Sim famula vt lucis, quæ modo noctis eram.
Magnum opus aggrediens, Princeps ô Magne. Quis vmquam
Progeniem ſceleris fecerit arte piam?

Ars Phrygiaria, ad Eumdem.

EPIGRAMMA XLV.

O Age, quid ceſſas telam diſtinguere pubes?
O laudum ſtimulis te tua pungat acus!
Exeute vim: neſcis, quæ nunc miracula tractas?
Quot figendo aperis puncta, tot ora locas:

Ora, quibus per te vel ſtamina muta loquuntur;
Principis & nomen dicere fila doces;
Hæc tua ſunt rerum molimina, non opus artis;
Loyolæ magno dum, LVDOVICE, faues.
Optet adhuc linguas centum, centum ora Poëſis;
En tibi iam geſtat tela, quod illa rogat.

Odoraria, ad Eumdem.

EPIGRAMMA XLVI.

ILla ego fragrantum peregrina Antiſtes odorum,
Quam iuuat Eoïs imperitare plagis;
Adſum, & paſtillos dextrâ gero: tu mihi præſtas
IGNATI ardentes, ô LVDOVICE, faces.
Non alio poteram redolentior igne videri,
Quàm quem magnanimi Principis aura ciet:
Sed minùs hæc fragrat mea fumi virgula, quàm tu;
Atque tuum in noſtro munere munus olet.

In PAVLI V. *Pontificis Maximi cineres in Sacellum Exquilinum tranſlatos, ad beatiſſimam Virginem.*

EPIGRAMMA XLVII.

VT parem tibi, Diua, Paulus aram,
Atque aræ geminam locaret ædem;
Gemmas vndique, quotquot aut Syene

Aut pingit Paros, aut creat Caryſtos,
Fecunda ciet euocatione.
O factum benè! Regiam Pudoris
Reginamque Pudoris hæc decebant:
Et gemmæ poterant amare Gemmam.
Nil deerat niſi Paulus huic theatro:
At, qui viſus erat deeſſe nuper,
Adeſt denique Paulus, & vocatus
In partem venit elegantiarum.
Paulus, nunc cinis, at cinis verendus,
Magnæ quondam animæ decorus hoſpes,
Magno nunc quoque nomini ſuperſtes:
Nam magnum eſt, cinerem fuiſſe Pauli.
Hanc gemmam tibi, Diua, non Syene,
Sed mundi & tua gemma, Roma reddit.

Ad PAVLVM V. *Pontificem Maximum, de eius animi caſtitate, ex Sacello Exquilino.*

EPIGRAMMA XLVIII.

VIrgo, nix tibi lineauit olim
Templum nobile: rurſus in vetuſto
Nunc templo tibi nix domum locauit;
Hanc Paulus, Deus eliquauit illam.
Paule, Virginis ardor Exquilinæ,
Et caſta niue pectoris decorus,
Hæc miracula ſunt tui Pudoris;
Vt, dum nobile Virgini ſacellum
Ponebas; operà potens eâdem,

Aram te quoque Virgini dicares,
Tam parem niuibuſque Virginique,
Vt non Virginis ara, Paule, tantum,
Sed Virgo ſimul ipſe diceteris.

Ad PAVLVM V. *Pontificem Maximum, de Annonæ ſtudio.*

EPIGRAMMA XLIX.

PRincipe te, numquam tenuit penuria victus,
Nec fuit agrorum diues auaritia.
Mens fecunda bonis, ſteriles opulentat & vrbes;
Pectoris ille tui campus alebat opes.
Non ego iam miror, fecundo à Principe, mutos
Duxiſſe exemplum fertilitatis agros.

Ad PAVLVM V. *Pontificem Maximum, de eius animi tranquillitate.*

EPIGRAMMA L.

VIs animi placida, & gratæ ſine fulmine luces;
Maieſtas, ſed quæ neſciat eſſe ferox;
Clementem te dixiſſent, niſi quòd tibi nomen
Antè dedit cultus Relligionis honor.
Non tua geſtabat vibrandum dextera ferrum;
Hoc vnum excipias, cetera Paulus eras.

Ad

Ad PAVLVM V. *Pont. Maximum, quòd in Exquilino Virginis Templo, prope Domini Cunas ſortitus ſit tumulum.*

EPIGRAMMA LI.

QVàm benè conueniunt vitæ tua funera, Princeps!
Non poteras vrnâ nobiliore tegi.
Viuentis cor Exquilias tenuiſſe fatendum eſt;
Exquiliæ cineres nunc morientis habent.
Vixiſti ad Cunas Domini, tumularis eaſdem
Ad Cunas; vitæ & funeris omen idem.
Hoc naſci eſt, cunis recipi; te, PAVLE, iacentem
Ad Vitæ Cunas, quis periiſſe putet?

De Corde ALEXANDRI *Card.* VRSINI, *ſepulto apud cineres* ROBERTI *Card.* BELLARMINI.

EPIGRAMMA LII.

VIxit Alexandri quondam Robertus in imo
Corde: ſed erratum eſt; imò cor ipſe fuit.
Viuere Robertus cùm deſijt, haud tamen idem
Deſijt Vrſini in corde cor eſſe diu.
Vt iam de geminis exſtaret cordibus vnum;
Et duo qui poſſet dicere, nullus erat.

At, poſtquam Vrſinus cecidit, cor huius eodem,
Quo Robertus ineſt, clauditur in tumulo.
Iam ſunt ergo pares: decuitque, vt cordis amici
Incola qui fuerat, cordis hic vrna foret.
Nil præbes Vrſine tui, ſed debita ſoluis:
Nam ſibi Robertum denique reſtituis.

De ALEXANDRO *Card.* VRSINO, *qui letali morbo correptus ſanguinem ſibi flagellis elicuit.*

EPIGRAMMA LIII.

HAuſerat Vrſinus rigidæ prima omina mortis,
Cùm ſubitò in ſeſe dira flagella mouet:
Nam quatit innocuos repetitis ictibus artus;
Quàm pius eſt, gaudet tam ferus eſſe magis.
Nec fruſtra: ex ſe ſcintillas & ſemina lucis
Elicuit, nec erat ſaxeus ille tamen.
Quot ſtillæ, totidem ſtellæ micuêre cruoris;
Quamquam plus eſt quàm ſideris iſte color.
Solis erat: ſol, occiduis iam proximus vndis,
Se præbet roſeo lumine ſanguineum.

De CHRISTI *in Cruce affixi effigie, quam ad pectus geſtabat Card.* VRSINVS, *dum viueret.*

EPIGRAMMA LIV.

DE cruce pendentem Vrſinus geſtabat IESVM,
Qui, quàm ſit Pietas ingenioſa, docet.

Claui-

Clauiculi exiguum terebrabant robur acuti,
Mucro nec aduerſâ parte retuſus erat.
Ille Crucem, quâ fronte exſtabat ferrea cuſpis,
Adpreſſam cordi, dulce ferebat onus.
Sic iiſdem clauis, & eodem in robore fixa,
Vrſini cor, & membra fuêre Dei.

De obitu ALEXANDRI MAGII *vltimâ Februarij.*

EPIGRAMMA LV.

OCcidis, & tecum florentibus, inclyte Maj,
Fetà bonis Virtus, ſed rediuiua cadit.
Nobis illa cadit; cadis & tu denique nobis:
Nam tibi viuendi limina prima patent.
At vos hoc anno ne Ver ſperate coloni,
Quandoquidem hiberno tempore Majus obit.

De pluuiâ, in eiuſdem obitu.

EPIGRAMMA LVI.

CLarum erat: at, poſtquam vidit tua funera Cælum;
Irriguas, Maj, fundere cœpit aquas:
Credo, vides de te Cælum quid ſentiat, & quid
Sentiat is, ſiccus qui tua fata videt.
Quiſquis is eſt, aut à Cælo diſſentit apertè;
Aut verè lapis eſt, ſentit & ipſe nihil.

In obitum Duciſſæ CÆSARINÆ.

EPIGRAMMA LVII.

INterijt rigido crudelis acinace Mortis,
Quæ curſu vitæ digna perennis erat.
Interijt, ſi vera Fides, ſi conſcia recti
Gratia, ſi Pietas interiiſſe poteſt.
Non tamen interijt; Natorum ſpiritus ingens
Nunc etiam extincto in pectore Matris agit.

Ad FERDINANDVM CÆSARINVM, *de obitu Matris.*

EPIGRAMMA LVIII.

FErdinande, geris nomen dominantibus aptum,
Imperij ſolitum ſæpè notare decus.
Tu quoque nunc tanti menſuram nominis imple,
Imperium in lacrymas & tibi finge tuum.
Rex eſto ipſe tui; Mœrorem crede Tyrannum:
An regnes, rapiat ſi tua regna Dolor?

Ad PETRVM CÆSARINVM, *de Eodem.*

EPIGRAMMA LIX.

PEtre, olim qui te Petrum dixêre Parentes,
In geniúmne tuum conſuluêre, putas?
Numquā adeò petræ natiuo humore liqueſcunt;
Tu lacrymis ſemper pectora mœſta rigas.
Parce igitur falſam lacrymando dicere Matrem;
Illa tibi Petri nomen habere dedit.

Ad

Ad Io. BAPTISTAM FERRARIVM Soc. IESV, *Syriaci Nomenclatoris Auctorem.*

EPIGRAMMA LX.

O Quem te memorem; cui condit nomina ferrum,
Aurum ſed facili diues ab ore fluit!
Lingua tibi eſt, teneris quam ſæpè locutus ab annis
Fecit linguarum tunc Deus eſſe Deam.
Deſinite ô verbis homines mortalibus vti:
Vos docet hic tandem Numinis ore loqui.
Ferrari, linguam cordi ſcis eſſe gemellam:
Si tua lingua Dei eſt; cor age, cuius erit?

Ad Equitem IOSEPHVM CÆSAREM ARPINATEM, *Pictorem eximium, de Poëſi ab eo pictâ, & Auctori donatâ.*

EPIGRAMMA LXI.

CÆſar maximè Cæſarum, quòd vltrò
Donaſti tacitam mihi Poëſim,
Picturam tibi reddo, ſed loquentem.
Quamquam nec ſilet illa, quam dediſti;
Nec dicit ſatis iſta, quam rependo.
Spirat altera, largiente vitam
Ipſo te: ſed & alteri vigorem
Si quem cernis ineſſe ſpiritumque;
Totum nominis eſt tui, quòd illam

Vſur-

Vſurpatum animat; facitque ſenſum,
Quem ſuus dare non valeret Auctor.
Ergo, noſcere ſi quis optat altum
Humani ingenij triumuiratum,
Arpini petat imminentis arces,
Hîc Cæſar, Mariuſque, Tulliuſque,
Linguâ æquè valet, enſe, penicillo.
Tantò at, Cæſar, vtrumque vincis arte,
Quantò nominis omine antecellis:
Quòd vitam gladio auferebat alter,
Vita rapta quòd alteri, quòd vnus
Hanc mutis dare rebus aſſueſti.

In Tribunum, CICERONIS *interfectorem*.

EPIGRAMMA LXII.

AVctor perfide, pectus indiſertum,
Arte vnâ feritatis eruditum,
Tu collo Ciceronis immerenti
Inuitum potes applicare ferrum;
In quo, ſcriptor inelegans, tuorum
Dura ſchemata criminum figures?
Hîc vitæ meliora ſigna deles,
Hîc linguæ premis eloquentis artem,
Humanæque apices beatitatis,
Et mentis bona ſenſa decoloras.
Nil notas, niſi te & tuos furores,
Et de ſanguine theta ſcribis atrum.
Auctor perfide, pectus indiſertum,
Sic addis Sophiæ manum ſupremam?
O dextræ ſcelus improbæ ſiniſtrum!
O ſtyli malus ænei character!

Vnus denique miles audet omnes
Vnâ expungere litteras liturâ.
O tribune, quis audeat peritum
Poſthac dicere te Latinitatis?
Feciſti, mihi crede, barbariſmum.

Ad Romulum, Lupæ alumnum.

EPIGRAMMA LXIII.

EXcipe, magne Puer, lactentibus vbera labris,
 Quæ Lupa fecundo præbet amica ſinu.
Eſt Lupa, ſed genium ponit cum lacte lupinum;
 Tu caue, ne mores, quos vomit illa, bibas.
Quàm vereor, ſubitò lac iſtud aceſcat; & vni
 Quod tibi dat vitam, pluribus eripiat.

De Cicadâ ad lyram canente.

EPIGRAMMA LXIV.

PVlſabat digitis lyram lyriſtes,
Cùm fides, malè paſſa verberantem
Neruo diſſiliente diſſecatur:
At Cicadula, mens canora ſiluæ,
Æſtatis Melopæa garrientis,
Iacturam fidis ambitu fideli
Et dulcis vice vocis implet vltrò.
Nam, lyram ſuperinſidens diſertam,
Pro caſsâ fide ſufficit, locatque
Vocem dulciloquæ neceſſitati:
Sic ſe temperat ad canentis vſum,
Vt quidquid digitis canit lyriſtes,
Illud ore Cicada proſequatur.

Mira-

Miraris, vice chordulæ Cicadam
Totum prouehere & iuuare cantum?
Tantò veriùs id mihi probatur,
Quantum voce propinqua chorda cordi eſt.
Ergo deſine fabulam putare,
Hanc, quæ tota cor eſſet, eſſe chordam.
Imò, quò magè ſit gemella chordæ;
Cui vicaria iam fuit canendo,
Huic vicaria ſit ſimul cadendo:
Par fato, velut ore; nam, repentè
Ruptis faucibus, in lyram recumbit.
Infelix, niſi ſortiatur vrnam,
Quâ carent, ſed & inuident olores.

Tumulus anni morientis.

EPIGRAMMA LXV.

HIc iaceo, rigidæ proſtratus vulnere Mortis,
  Dum mihi, quam reliquis augeo, vita perit.
Viuendi merces moriendi debita traxit:
  Et quæ vitæ alijs, eſt mihi cauſſa necis.
Nempe Deum vidi; Vitam vidiſſe iacentem
  Arguor, & lucis crimina nocte luo.
Hac tamen ingentem ſolabor ſorte dolorem,
  Non poteram fato ſplendidiore mori.
Nam quibus in cunis oritur Deus, occidit Annus:
  Sic Domini thalamum ſortior in tumulum.
Vita nec amiſit, meliùs ſed tranſtulit vſum:
  Dulce mihi heredem lucis habere Deum.

VIN-

VINCENTII GVINISII E SOC. IESV POESIS DRAMATICA.

IGNATIVS IN MONTE SERRATO ARMA MVTANS.

Drama Ideo-practicum

Actum ludis ſcenicis in Collegio Romano Societatis IESV *à Seminarianâ Iuuentute, cùm* S. IGNATIVS *Soc.* IESV *Fundator à* GREGORIO XV. *Pontif. Max. inter Sanctos relatus eſſet anno ſal.* M. DC. XXII.

quinquies datum, ſemper placitum.

ARGVMENTVM.

IGNATIVS cæleſti iampridem ſtimulo ad vitæ mutationem diuinitus incitatus, in Montis Serrati templo totam noctem, cui dies feſtus Angelicæ Salutationis illuxit, peruigil precantis in morem exigit: ſibiq; detractis atque è tholo ſuſpenſis armis, quibus ſtipendia iamdudum humana meruerat, totum ſe deuouet Imperatori ſuo aduerſus Infernum hoſtem: qui cùm eam hominis mentem penitus introſpexiſſet, atque hinc ſibi non leue aliquod incommodum timuiſſet, cum ſuis de huiuſmodi periculo protinus auertendo per otium conſtantérque deliberat. Igitur poſteaquam terrarum orbem vniuerſum, per ſingulas eius prouincias, veluti per gradus, animo iam atque conſilio peruagatus expendit diligentiùs, viditq; res ita libratas, vt breuî inclinatura viderentur, ſiue ad ingens Inferorum lucrum ob egregia Lutheri in Septèmtrione principia, ſiue ad parem iacturam in regionibus tum primùm cognitis; ex quibus Hiſpani reduces eò diuinæ legis interpretes inuitabant: ex alterâ quidem parte decernit arctioribus in dies errorum laqueis obligare prouincias; quæ, vti videbantur, ex variis vndique terrarum plagis opem flagitabant, afflatæ diuinitus ſupernarum operâ mentium, quarum fidei ac patrocinio commiſſæ ſunt: vt olim Macedonia Paulo per quietem oblata precibus

bus apud eum agit, eam vti prouinciam ſubleuatum iret; quod ille non multo pòſt ſatis abundeq́ perfecit. Atque in hunc planè modum Hadrianus Hiſpaniæ Præſes, hoc ipſo tempore quo Romæ ad honorem Pontificatus euectus eſt, cùm procul ageret in Hiſpaniâ, nocte eius diei quo nuntium accepit, viſus eſt videre terrarum Orbem ſibi ad pedes accidere, nec ſine lacrymis opem flagitare; quam Hadrianus vt primùm Pontifex renuntiatur, allaturum ſe liberaliter pollicetur, ſi genus illud hominum ſibi ſuppetat, quod apud aliquos Sanctorum legerat præmonſtratum ſeris deinde temporibus magnò hominum bono deſtinandum. Ex alterâ verò parte idem ille tartareus hoſtis intentus ad Ignatium, qui rudi iam indumento coopertus in abditam ſeſe ſpeluncam altè penetrauerat, ibiq́ ſe miris cruciatibus affligare iam cœperat, eum tam ſeriò, tam conſtanter aggreditur multiplici fraudum varietate, terroribus externis, intimisq́ petitionibus, vt de omni propè ſpe ſalutis æternæ deijcere videatur. Verùm adeſt fluctuanti Deus, ac liquidiſſimæ lucis afflatu hoſtiles diſſipat vmbrarum dolos: in eoq́ memorabili altiſſimoq́ abalienatæ à ſenſu mentis exceſſu (in quo tenet opinio Ignatium animo iam tum luſtraſſe futuram Societatis ſuæ rationem) præclara aliquorum facta præmonſtrat, quos ipſe pòſt ſuo numeraturus eſſet in cenſu. Hinc pro armis humanæ militiæ quæ modò poſuerat, aliis viciſſim armis induitur Superûm operâ fabrefactis in Cælo. Acceptoq́ vexillo, cui magnum IESV *nomen intextum eſt, Eccleſiæ traditur, ac dicatur; cuius ante oculos iubetur arma*

nuper

nuper accepta diuinitus expedire aduerſus Inferorum monſtra. quod perficit ad extremum; iiſq́ profligatis, aptiſſimum præbet ſpecimen eius quod deinceps acturus eſſet, tum ipſe per ſe, tum verò per Socios ſuos, ad immortalem Dei gloriam, ad propugnationem Eccleſiæ, ad populorum incolumitatem.

Idem ARGVMENTVM breuiùs ductum.

AGebat terrarum Orbis inter metum ob Hæreſes in Septemtrione naſcentes; ac ſpem Religionis augendæ in iis, quæ cognitæ nuper fuerant, Indorum plagis; cùm Ignatius diuino Numine afflatus humanæ militiæ nuntium remittit, animoq́ magna quædam & præclara iam parturit ad diuinæ cultum Maieſtatis inſtaurandum. Sed aggredientem perficere quod decreuerat, & in Montis Serrati templo ſuſpendentem arma, ibiq́ vitæ genus aſperrimum inſtituentem, Infernus hoſtis multiplici fraudum genere conſtanter oppugnat, ac propè expugnat. Verùm à Deo recreatus Ignatius diuinarum humanarumq́ rerum aſpectu, ſuis ipſemet oculis iam delibat prouidetq́ terrarum Orbis mutationem, ex hac ſuâ dumtaxat mutatione conſecuturam. Quare cæleſtibus indutus armis Eccleſiæ traditur; à quâ is demum eſſe deprehenditur, quem diu flagitauerat publico mortalium bono deſtinatum. Cuius ſanè felicitatis Ignatius, pulſis Inferorum monſtris, non ſpem modò, ſed ſpecimen quoque certiſſimum præbet.

PRO-

PRODROMVS LECTORI.

NEMO, *candide Lector, accuſabit, Ignatianum hoc Drama nimiùm ab Ariſtotelis lege deerraſſe; ne cenſor ipſe longiùs à lege Veritatis exerret. Etenim penetrare in profundum illud mentis Ariſtoteleæ ſacrarium non cuicumq; Muſarum Sacerdoti conceſſum eſt. Acciditq; non ſemel, vt, qui ſe credit Ariſtotelis vno vel pro verbo pugnare, is Ariſtotelis mentem oppugnet. In intempeſtâ atrâque nocte Deorum, Ariſtoteles Religionis Chriſtianæ Solem intueri quî potuit? Eas igitur fixit ſcribendi Dramatis leges, quas humanarum rerum illa nox, & noctua Athenarum, occinebant. Quòd ſi deinde & noſtram humanitatem Deus, & humana natura Diuinitatem induit; cur actio humana, cuius imitatio Poëſis eſt, aliquid vltra ſupraq; naturam, & ſupra Ariſtotelis effata legesq; non induat? Chriſtiani Dramatis ſyrma, dixerit aliquis, Ariſtoteleâ texturâ multò latiùs altiusq; contextum, malè trahitur contra Ariſtotelem; quia ſupra Ariſtotelem eſt. Humilitatis humanæ ſtatum, Diuinæ gratiæ machinis erectum, euectumq; ad conſortium communicatæ Diuinitatis, ſi cognouiſſet Ariſtoteles; crexiſſet ingenium, prouexiſſet altiùs imitationem actionis & dignitatis humanæ, de Dramaticâ Poëſi magnificentiùs ille diuiniusq; ſenſiſſet, alia denique multò ſplendidiora,*

quàm

quàm tradidit, de vniuerſâ Poëticâ præcepta ſanciuiſſet. Excuſandus ille tamen, quia ſapientibus & prudentibus abſcondita Prouidentiæ Diuinæ conſulta non nouit. At numquid nos accuſandi, & etiam cauſsâ inauditâ damnandi, qui Diuinis in rebus poëtico colore pingendis haud multùm ab Ariſtotele recedentes, ad imitationem vultúmque retectæ Diuinitatis accedimus? Ab itineribus Æternitatis, æternæ Sapientiæ numen atque conſilium fuit, aduerſus Hæreſim impiamq; Politicam, aduerſus Deorum cultum & Atheorum impietatem IGNATIVM LOYOLAM, *tamquam aduerſus quatuor immaniſſima monſtra, domitorem, & (vt ita dixerim) cæleſtem Herculem dare: Eccleſiæ Romanæ Bellatorem nouum, integrumq; recentium militum Ducem ſubmittere: Europæ denique, Africæ, Americæ, Aſiæq;, peropportunũ afferre præſidium. Incomprehenſum hoc arcanumq; Mentis æternæ conſilium, exponendum oculis ſpectatorum, ſcenæq; theatro committendum ſi fuit; non ex Ariſtotelis choragio, ſed è Diuinitatis orcheſtrâ, Perſonas Actoresq; Principes neceſſariò legendos fuiſſe, nemò non videt, qui extra ſcenicum apparatum & tragicum intra ſiparium aliquid videt. Non fuit igitur Auctori propoſitum, ad profanum Ariſtotelis ſenſum Diuinam actionem exigere. Neque enim Deus, quem Poëtam rerum omnium Græci vocant, in Ignatio condendo conformandóque conſultorem adhibuit Ariſtotelem. Ita tamen attemperatus eſt ſtylus, vt, ſine Tragœdiæ aut Comœdiæ nomine, Drama nouum Ideo-practicum (hoc eſt, ex ideâ & humanâ*

M *actione*

actione permiſtum) quantum decoro Religionis & materiæ neceſſitati fas erat, ad veterem Tragicorum normam & ad Ariſtotelis præcepta limamq; conformatum ſit: quæ ſanè præcepta obſeruare omnia ad finem ſibi propoſitum Auctor neceſſe potiùs non habuit, quàm non potuit, aut neglexit. Certè, quòd ideæ Perſonarum Ignatio ceteríſque veris ſunt admixtæ Perſonis, extra chorum antiqui Dramatis minimè ſaltatum eſt. id enim licuiſſe ſemper etiam antiquæ Tragœdiæ Scriptoribus, & hodie licere, negarit nemo; qui volumina Græca curſim euoluerit, nedum diurnâ nocturnâq; manu verſauerit. Apud vnum Euripidem, quem vnum Ariſtoteles appellat maximè Tragicum, inuenies id ſæpiùs poëtico iure factitatum: qui in Prometheo Vim & Robur, in Alceſtide Mortem, in Hercule Furente Rabiem, Hominum Deorumq; Perſonis interſerit. Nam Atticæ Romanæq; Comœdiæ Principes ſileo: Plautum, qui in Trinummo Luxuriam & Inopiam, in Rudente Stellas; & Ariſtophanem, qui Nubes in Nubibus, Tumultum ac Bellum in Pace, interloqui, ſaltare, tumultuari in ſcenâ docuerunt. Inſtructus ergo, candide Lector, ratione præſentis argumenti, & veterum auctoritate, veluti geminis oculis ad legendum accede, ſi lubet.

PER-

PERSONÆ.

ECCLESIA ROMANA.
EVROPA.
ASIA.
AFRICA.
AMERICA.
MICHAEL *cæleſtis militiæ Princeps.*
EVROPAE
ASIAE
AFRICAE } BONI GENII.
AMERICAE
CHRISTVS IMPERATOR.
REX INFERORVM.
EVROPAE
ASIAE
AFRICAE } MALI GENII.
AMERICAE
HISPANIAE MAEVS GENIVS, *modò ſub militis, modò ſub eremicolæ perſona.*
GENIVS LVTHERI MAGISTER.
TVBICEN INFERORVM *cum recuruo cornu.*
RATIO IMPERII.
HAERESIS.
IDOLOLATRIA.
ATHEISMVS.
SPECTRVM.
HADRIANVS *Hiſpaniæ Gubernator.*
DVX NAIARAE *cum* EXERCITV.
TRIBVNVS HISP.
CENTVRIO.

PRAEFECTVS MILITVM.
DVX MAVRORVM *cum* EXERCITV.
TRIBVNVS MAVRORVM.
MENDICVS IGNATII *veſtibus indutus.*
IGNATIVS *cum comitatu* SERVORVM.
SEBASTES *nauis Victoriæ Præfectus.*
NVNTIVS AD HADRIANVM.
OVIEDVS *Patriarcha Æthiopiæ.*
ADAMAS *Rex Æthiopum.*
REGIS FILIVS.
AZEBEDVS *cum* SOCIIS.
SORIA *Dux Prædonum.*
DVX HISPANORVM.
NEPTVNVS.
PRINCEPS CASTILIONII,
ALOYSIVS GONZAGA.
NVNTIVS AD PRINCIPEM.
FRANCISCVS XAVERIVS.
DVX TRAVANCORIDIS *cum* EXERCITV.
DVCIS FILIVS.
DVX BAGADARVM.
CHORVS ADOLESCENTIVM *ex quatuor Terrarum plagis vnà coëuntium.*

IVVENVM INDORVM
CENTAVRORVM
NEREIDVM
} MANIPVLI *ludibundi.*

Scena ſtata refert imaginem Montis Serrati, quâ in mediâ ſurgit facies Templi beatæ Virginis.

VIN-

VINCENTII GVINISII E SOC. IESV

IGNATIVS IN MONTE SERRATO ARMA MVTANS.

Drama Ideo-practicum.

ACTVS I. SCENA I.

ECCLESIA ROMANA.

PVBES, *de Nube dum in Scenam cadit.*

PVB. Vndo læta dies eat;
Mater Diua colentium
Pacis nuntia labitur:
Sertis tempora cingite;
Dextras tendite ſupplices.
ECCL. Adſum colendi norma, ſacrorum Parens,
Antiſtes æqui: Virgo, ſed fetu grauis;
Fecunda Mater omnium, quotquot piè
Summum verentur numen vnius Dei.
PVB. O tellus viden, vt tuus
Cælo Sol tibi naſcitur?
O quàm candidus emicat!

 Noctis

Noctis nubila diſiice;
Lucis gaudia concipe.

ECCL. Adſum Tonantis Sponſa: me tellus habet
Pacis gemellam, non tamen bello rudem;
Animo quietam ſemper, at numquam manu.
Fatale pectus æris æterni rigor
Inuulneratum fingit; at virtus magis
Seſe ipſa magnæ mentis obiectu tegit,
Matrona militaris idcircò vocor.
At quæ beatos ducit in cælo dies
Germana noſtri ſanguinis, noſtrum genus,
Per me triumphat illa: me ſpectat labor;
Merces laboris ſumma germanam decet:
Satis habeo pugnaſſe, dum vincat ſoror.
Huc me ſalubris orbe luſtrato quies,
Et gaudiorum meſſis errantem vocat.
Alibi ſerebam vota, votorum ſeges
Hic colligenda. Virginis magnæ domus
Hæc commodabit dona. Sat lacrymis datum;
Precibusque noſtris empta iamdudum ſalus,
Soluenda certo iure meritorum venit.
Nunc auſpicabor pretia: ſic cælum monet.
Ecquis, ſereno natus Eoo licet,
Hac nocte fortunatior mundum dies
Luſtrauit vmquam? nox redorditur caput
Felicitatis aureæ. Quondam Deus
Hac nocte deuocatus è cæli plagâ,
Mutauit aluo matris amplexum Patris,
Sed non reliquit; molis ô quantæ Puer!
Idem Architectus & rudimentum ſui.
Auſpicia ſemper candida ex illo fluunt,
Tranquillitatis fonte: venturos manet

Eadem nepotes vena, quæ proauos beat.
At tu meos ſecuta famulatus age,
Canora pubes: cedit en noƈti dies:
Noƈtem ſaluta Solis æterni moram.

PVB. Candidiſſima noƈtium
Nox ades, melior die:
Tuque te melior veni
Heſperugo; recentium
Coniugator amorum.
Nox puerpera luminis,
Sola conſcia Numinis,
Quæ ſinu Patris abditum
Matris in gremium potes
Deuocare Tonantem.
Vmbra luce ſerenior,
Sol tuus tibi creditur;
Nube ſed niueâ latet.
Eſt meus quoque ſol tuus,
Nec tibi latet vni
Nox amica, precantium
Vota reſpice puberum.
Quid moraris, adeſt Amor.
Surge, nam decet, vt ſemel,
Semper aurea Terris.

ECCL. Ibera tellus læta ſucceſſu nouo,
Gratatur Vrbes Orbis ignotas adhuc
Magno repertas ambitu; & traƈtus maris,
Inhoſpitales antè, ſubmiſſos iugo.
Quin ſe beatam prædicat cenſu Ducum.
O gratulandi ſumma vulgaris notæ!
Moritura quæ ſunt dona, mortales iuuant,
Nos alia quædam vota virtutes decent:

Menſura gratulantium, Cæli decus,
Inuecta terris certa Sacrorum fides,
Pulſum Deorum vulgus, extinctum ſcelus.

ACTVS I. SCENA II.

EVROPA, ASIA, AFRICA, AMERICA; *ex quatuor Mundi plagis curru per aërem in Scenam aduectæ.*

ECCL. AT quæ curuli nube per cælum volat
Corona matronalis? O factū benè!
Terreſtris adſunt Imperatrices plagæ.
En ipſa certè Domina terrarum; arbitra
Mundi minoris, maior & mundo cohors
Ex Orbe lapſa quadripartito venit.
Regnorum adeſte Principes, Regnis pares,
Paria ſororum gemina: vos Numen vocat,
Non caſus: aduentaſtis accitu meo:
Adeſte: quòd ſi cauſſa properandi latet,
Commune mundi eſt gaudium; in promptu eſt ſalus,
Vobiſque fabricatur: hic riuus boni
In vos redundat omnis: hic mergat metum.
EVR. Hoc eſt quod animus, nempe vēturi ſagax,
Neſcio quid intus caneret ingentis ſpei.
AS. Et me beabat, rebus vt lætis ſolet,
Præſagus animi ſenſus. AFR. Aut aliquis Deus,
Aut eſt Deus cupido, quæ mentem regat:
Ego intonantem pectore arcano ſonum
Clarumq; ue ſenſi mentis ætheriæ iubar.

AM. Vt,

AM. Vt, cùm ſubactum pelagus ex imo tumet,
Sic excitata cordis in medio ſinu
Seſe efferebat vnda fortunæ ferax,
Quæ me remotas impulit ad Orbis plagas.
ECCL. Benè eſt, beatè eſt: venit in portum ratis:
Non antè veſper craſtinum condet diem,
Quàm quod fouebat animus, euentus ferat:
Id huius vmbra noctis in lucem dabit.
At tu meorum ſumma votorum cohors,
Huc tuta greſſum quæſo regalem admoue.
Partire mecum noctis vſuram breuis
In hoc theatro Virginis magnæ; fidem,
Longæque præſtolare mercedem viæ.
Ingredere fortunata: iam templum patet.
EVR. Parum eſt, quod optas Diua: non tantùm gradus,
Sed gerimus animos obſecundantes tibi.
AS. Tuæ ſumus, Regina, ſi quidquam ſumus.
AFR. Imò erimus aliquid, eſſe ſi liceat tuas.
AM. O ſi meorum ſceptra Regnorum arbitra,
Meique potiùs cordis imperium regas.

ACTVS I. SCENA III.

SEBASTES *nauis Victoriæ Præfectus cum militibus nauticis.* INDORVM MANIPVLVS.

SEB. EN fidus ille portus ærumnis adeſt,
Chriſti nouellum germen, & partus recens
Eoa pubes. Rupe de ſummâ viden,

 Quæ

Quæ ſurgit opere fulta barbarico domus?
Securus ille Matris ætheriæ ſinus,
Votis vocatus ſæpè, dum ſæui maris
Naufragia deprecabar, en tandem patet.
Verere flexo poplite optatos lares:
Humi ſuperbum pectus, at mentem magis
Submitte: delectatur obſequio Deus.

Hoc loco barbari Iuuenes humi corpora venerabundi proſternunt.

IN. O ſemper exſpectanda iactato quies!
IN. O nauigantum portus! IN. O ſidus meum!
IN. At nos in orbem, more gentili, choros
Quin, ô ſodales, agimus? in portu ſumus.
IN. Ludus minantum fuimus vndarum ſatis:
Ludamus ipſi triſte ludibrium freti.
IN. Nec dedecere Virginem ludos reor.
SEB. Quin ipſa poſcit; pompa ludorum grauis
In imperantem ſæpè pietatem redit.
IN. Teſtemur & nos gratulabundi pios,
Sin quà meretur Virgo, quà ſaltem licet.
SEB. An melior vmquam cauſſa ludendi fuit?

ACTVS I. SCENA IV.

HADRIANVS *Hiſpaniæ Gubernator.*
DVX NAIARÆ. SEBASTES.
INDORVM MANIPVLVS.

HAD. QVis ille ludibundus errantum chorus?
Niſi forma mendax, barbaros cultus docet.

D. NAI. An

D.NAI. An ſemper aliquid Africa apportat noui?
SEB. Nil eſt verendum, Præſes; ingenium ferox
Natura finxit, longus infregit labor,
Iugumque Chriſti mite, cui collum induit.
Hoc nuper agmen, Orbe luſtrato redux,
Vt ſubiugati ſpecimen Oceani foret,
Peregrina vexi ſpolia Regnorum Deo.
Idem maniplus ille votorum memor
Se nunc ſalutis iurat acceptæ reum:
Et ſancta patrio templa ſaltatu colit.
HADR. Benè occupantur vota: tu pubes age,
Et turbinatos perge moliri gradus.
Spectare ludos gentis externos libet.

Hic explicatur Indorum more Ludibunda ſaltatio.

HADR. Ingenua certè pompa: ſaltandi genus
Remotioris indolem cæli notat.
D.NAI. At indolem ſaltantium vultus gerit
Moreſque ſupra barbarum humanos modum.
SEB. Iuuenes ab omni gente ſelectos vides,
Procerum reliquias efferatorum breues;
Quos nempe ſacris ritè perfuſos aquis
Ediſſerebam, cùm renarrarem modò
Genium latentis Orbis, & cultus feros.
HAD. Relata memini; perge nunc cœpti exitum.
SEB. Meminiſſe pectus horret, & nondum putat
Diſcrimen euitaſſe, quod nuſquam videt.
Procul eſt timoris cauſſa; ſed timeo tamen.
D.NAI. Peruince, nec te præmio fraudes mali:
Merces laboris ſumma narratus labor.
SEB. Iam longa poſt diſcrimina irati maris,

Poſt imminentis mille mæandros viæ,
Incerta poſt euenta, poſt certos metus,
Procella melior viſa, quàm pelagi quies,
Ad inſulare littus abiecit ratem.
Portum ſalutis, & procellarum moram
Credidimus hoſpitale iactatis ſolum;
Illo ſed eſt reperta tempeſtas magis
Secura portu. cingitur tellus freto,
Quacumque longum parte promittit latus:
Tellus decori neſciens: hominum ferax,
Humanitatis indigens: venis fluens
Aurique gemmarumque, ſed ſterilis fide.
HADR. Sit Imperator, qui rebellantes premat
Regatque. mentem crede Regnorum Ducem.
SEB. Et hoc malorum remedium eſt peius malis:
Rex efferatis gentibus tantum præit
Immanitate, regiâ quantum notâ.
Tum fortè portaturus armatos erat
In bella ciues: ergo nos vltrò petit,
Si demereri poſſit, & vitæ & necis
Habere comites. voce pietatem ſonat:
Quos nutrit animo, fronte diſſimulat dolos:
Quantumque fraudum nube quàm denſâ tegit?
Quid multa? deteſtatur antiquos Deos,
Araſque demolitur: & Chriſtum induit;
Paturque ſacro in fonte luſtrales aquas.
Quin aſſeclarum, Regis exemplo, manus,
Et ſocia thalami, & regij ſoboles tori,
Regnique Proceres fonte luſtrantur pio.
Quorum vna pars, hæc ipſa quam cernis, memor
Humanitatis ſemper, & fidei tenax,
Ferale mecum littus & patrium ſolum

Abominata, fugit Europæ in ſinum.
HADR. Hucuſque fortunatus eſt Regno dolus.
Fit ſæpè virtus, eſſe quod cœpit ſcelus.
SEB. Quàm facilè miſeri verba mercamur fide?
Res eſt egeſtas credula: & cui non ſcatet
Felicitatis vena, vel fraudes bibit.
Ergo infidelem iure ſociali Ducem
Armis tuemur, & peregrinas opes
In bella fœderamus. D. NAI. Vt decuit pios;
Niſi aliquid immatura peccaſſet fides.
Sed fare ſortem Martis. SEB. Ad primum impetum
Fugatur hoſtis; nec ſecundorum minor
Euentus eſt certaminum: donec redit
Ad arma clandeſtinus atque aſtu potens
Inimicus ardor: bis triumphatus, ſemel
Triumphat idem, noſque depellit ſtatu.
HADR. Non hoc mereri debuit virtus Ducum
Ad obſequendum prompta. quid victi tamen?
Licuítne ſaltem fugere victrices manus?
SEB. Licuiſſet vtinam! ſed profanatus furor
Non audit hominũ vota: dum cædem hoſpitum
Amoliuntur ſtrenuè, incurrunt ſuam:
Propriâque morte, vulnere alieno cadunt.
O luctuoſum lucis infauſtæ diem!
Hîc Magelanus ille dominator freti,
Noui repertor Orbis, Oceani timor.
O luctus ingens! ſiccine ô Ductor Ducum
Extorris, indefletus, abiectus iaces;
Quem nullus altâ mente dimouit Notus,
Diu furentis nulla tempeſtas maris?
HAD. Quâ fronte reliquos, quâq; defunctos tulit

Rex nuper hoſpitalis, & Chriſti recens
Profeſſor? an deſertor humani vetus?
SEB. En tangis ipſum vulnus: hîc hæret dolor:
Neque hoc malorum finis euentu ſtetit:
Nempe Imperator barbaræ gentis ferox
Non potuit illam gerere perſonam diu:
Quos nuper occultabat, expromit dolos.
Duces Iberæ claſſis ad feſtas dapes
Inuitat vltrò: ſed Thyeſteum parat
Genus epulandi: numen extemplò exuit,
Et ius & æquum, ſi quod aut vmquam induit
Aut nouit vmquam: cæde funeſtâ hoſpitum
Nil tale promerentium aſpergit manus;
Præuaricator legis, hoſpitij, Dei.
D. NAI. Periura Pietas: ſcelere finitur ſcelus.
Quæ te periclo tanta ſubduxit ſalus?
SEB. Certè enataui ſceleris immenſi vadum.
Vt enatarim, neſcio. ad littus pedem
Refero citatum: ſoluimus quotquot ſuper
Mariſque fatorumque relliquiæ ſumus.
Enauigamus: ire per Syrtes libet,
Per inhoſpitales Orbis extremi plagas.
Speramus aliquam potiùs in ſcopulis fidem.
HADR. Hos ſæuus error, & ſuperſtitio mouet
Iniqua fluctus: has habet curas amor
Inconditorum numinum; hos mores docet.
SEB. Vbique ſerpit ſæua ſacrorum lues.
Sint qui profanis abrogent cultum ſacris,
Verumque Numen ingerant. Sint qui Deos
Rituſque veteres legibus mutent nouis.
Europa cultrix Orbis, Heroum ferax,
Hîc exigatur: ſuſcitet magno pares

Campo

Campo colonos: pacis altores alat,
Humanitatis arbitros, cæli Duces:
Qui magna mundi ſpatia, terrarum angulos
Luſtrent, ciuumque gradibus exæquent diem,
Superuiſque ſolis inſtar apportent iubar.
HADR. Vbi nunc virorum, quale tum viguit genus,
Cùm ſancta Fidei iura Chriſtiadum bibit
In fonte primo, quæque mortalis Dei
Accepit ore, quæque tractauit manu
Pietatis inſtrumenta, luſtrando plagas
Orbis remotas gentibus ſparſis tulit?
Grex ille paruus, non tamen magno minor
Mundi receſſu, grande præſidium malis,
Suæ immemor ſalutis, alienæ memor.
O ſimile quidquam ſerus inſtauret dies!
Subeamus agedum Virginis magnæ Domum.
Soluenda primùm vota, quòd preſſo ſilet
Hiſpana tellus Marte: tum grates agam
Pro ſoſpitali reducis aduentu ratis:
Simul & ſupremæ mentis omnipotens iubar
Precabor adſit; & Senatorum intimos
Perluſtret animos, qui creatricem Ducis
Vrnam Latini ſorte Romanâ mouent:
Vt Roma dicat Principem mundo parem,
Parem ſaluti ciuium, ſimilem Deo;
Quem poſcit Orbis orbus, inducat Patrem.
Cumulate noſtras precibus immixtis preces.

ACTVS

ACTVS I. SCENA V.

HADRIANVS. DVX NAIARÆ. SEBASTES. NVNTIVS.

HAD. AT quis retorto proditus cornu ſonus?
Quid ille gratulantium plauſus petit?

D. NAI. Inſueta res eſt. SEB. Aliquid impendet noui.

NVNT. Quicumque magnum Principis vallas latus,
Quin obſequendo ſubdis ad terram genu?
Venerare ſupplex, aſtra qui calcant, pedes;
Exoſculare. HADR. Quiſquis es, iubeo, procul
Abſiſte: non me cultus hic tantus decet.

NVNT. Hoc ego decere moneo, quod fieri vetas,
O gratulantis publicum mundi caput:
Mortalitatis omen exutus, gradum
Calcas Tonanti proximum: ſupples vicem
Moderantis aſtra; paſtor es Chriſti gregis.
Sic te verendus Purpuratorum vocat
Romæ Senatus, Roma te dicit Patrem,
Sacrique mittit nuntias Regni notas.

Hoc loco Nuntius litteras offert Hadriano: qui eas tacitus legit, ſeq; creatum Pontif. Max. ex ijs intelligit.

D. NAI. Felix Ibera regio. SEB. Felices mei
Olim labores, quando me functum malis
In hoc reſeruant gaudium.

Hoc

Hoc loco omnes accurrunt, vt pedes exoſculentur noui Pontificis, qui eos arcet.

HADR. Subſiſtite.
Rerum Repertor, qui ſupercilio geris
Quoſcumque caſus vrna fatalis mouet,
Quæ monſtra? deceat eſſe Romanum Ducem
Omnia regentem, regere qui ſe non poteſt?
Procul à Senatu ſemper errantem legi,
Qui nec Senatum nouit, aut Vrbis ſtatum,
Nec vidit Vrbem, huic ſubditus, quam Dux regat?
Haud ſimile veri eſt. D. NAI. Imò qui Romam cauet,
Quàm procul ab Vrbe tam propè eſt Regno magis.
SEB. Procul à Senatu, procul ab inuidiæ metu.
D. NAI. Et Roma recipit Principem, ſed non facit.
HADR. Quem non vident, non diligunt. SEB. Sed nec timent.
Romanus vt ſis Pontifex, non tam iuuat
Amor Senatus, quàm timor ne ſis, nocet.
HADR. At quî regas quod neſcias? D. NAI. Vnum ſatis
Alterius eſſe ſpecimen Imperij decet.
Quantum regendis vrbibus poſſis, docet
Hiſpanus Orbis. HADR. Alius eſt Regni color,
Alius Sacrorum. miles in templum præi.

ACTVS I. SCENA VI.

ECCLESIA. EVROPA. ASIA. AFRICA. AMERICA. HADRIANVS.

ECCL. QVid tendis vltrà? pone trepidantes metus
Hadriane: conſulenda te Virgo monet
In anteceſſum. mitte ſcrutari Deum:
Tuus eſt, & in te: collocat Regnum tibi.
Ego militantum prima Chriſtiadum Parens
Interpres adſum Numinis. Sceptro manum,
Collum iugo ſuppone: ſic Superi iubent.
HADR. Salue meorum norma votorum, Sacri
Matrona Regni, numen in vultu geris:
Nec numini decerto: ſi Cælum imperat,
Si tu probas, Regina, ſubmitto caput.
Hoc præcinebat noctis heſternæ quies,
Cùm ſupplicantes lacrymabundi manus
Cernere videbar Orbis, obuerſas mihi;
Interque gemitus, vota multorum, graues,
Audire conteſtantium Romæ fidem.
ECCL. Non vana ſenſus forma deluſit tuos.
Mundus repoſcit, quidquid ingeſſit ſopor.
Vbique rerum nutat incertum ſtatus.
Alibi repertus Orbis ad Chriſti gregem
Cœpit vocari: priſcus at fidei vigor
Alibi viciſſim languet: in libram metus
Et ſpes aguntur, lance ſed pendet pari.
In te locauit grande momentum Deus.
Te Rege certa cuditur mundi ſalus.

Nec

Nec fallit animi ſenſus, ætatem reor
Veniſſe tandem, cuius acceſſu redit
Sua vita Sacris, & ſuus vitæ nitor.
Audire quorum ſenſa populorum nequis,
Simulacra cernis. Virgines Cælo pares,
Sed quæ gubernant Orbis humani globum,
Tibi ſe dicant, donantque Regnorum fidem:
Ciues, ſalutem, iura, ſupponunt tibi,
Tuamque poſcunt rebus afflictis opem.
EVR. Miſerere, Princeps omnium, Europæ tuæ.
Mutatur ille gentis ingenuæ color,
Morumque candor ille natiuus perit.
Multus Latinis error imponit Sacris:
Et quod verendum, ſerpit, vt numquam, malum:
Dieque fit deterior heſterno dies.
AS. Et te meorum damna Regnorum, Pater,
Antiqua flectant, Aſia te ſupplex rogat.
Ab vſque Tanai, quantus in Nilum patet
Interiacentis ambitus terræ & maris,
Pars Orbis vna, vix tamen toto minor,
(Pudet fateri) regnat; at patitur tamen
Dominos inertes, ſeque peiores Deos.
AFR. Quid Africæ ſuperſit, ex vultu vides.
Qui tingit ora nigror, in mores abit.
Ad te ſupinas tendimus, Princeps, manus.
Quaſcumque terras amnis occultans caput
Promitque, Atlanteoque committit iugo,
Infamis error numinum atque hominum premit.
AMER. Quid ego malorum ſemen æternum
queror?
America nuſquam nouit ingenium boni:
Nec ipſa nuper nota, trans mundi plagas
Late-

Latebat auri diues, at cultus egens.
Sed cùm ſuperbientis Oceani tumor
Depreſſus arte cœpit imperium pati,
Tunc ad reductos patuit anfractus iter:
Iamque explicatur ora, quæ latuit diu;
Et quod fouebat crimen, in vultu gerit.
Pudet videri ſcelera; ſed forſan iuuat:
Gradus ad ſalutem primus, eſt facti pudor:
Cùm ſe fatetur vulnus, obduci rogat.
Sit qui medentes afferat Regno manus,
Namque oro, Princeps, & cicatricum notas
Abſtergat vndis, fonte quæ ſacro fluunt.
HADR. Meditantur oculi lacrymas: adeò meum
Flexiſtis animum: vulneris veſtri piget.
Hæc ipſa ſunt, quæ vota lacrymantum obtulit
Nocturna ſpecies: falſa non luſit quies:
Tu me ſupremus vera docuiſti Pater:
Agnoſco Numen, veneror; & quando ſeges
Se tanta pollicetur, hoc vnum precor,
Hoc adde meritis, vt repurgando pares
Campo colonos deſtines, campi Sator.
ECCL. Hoc nempe ſupereſt: ſit licet voti caput,
Facile rogatu ſemper, inuentu arduum;
Nam multa virtus formet, & multus labor,
Quos excolendus Orbis exſpectat viros.
Non imparatum, non inexpertum malis
Campi patentis eſſe cultorem decet:
Memorem laboris ſemper, oblitum ſui,
Non appetentem laudis; at quidquid gerat,
Sit laude dignum: ſedulum, mitem, probum:
Ad ima ſerpat, mentis at teneat ſtatum:

Ad ſumma redeat, infimæ ſortis memor:
Cui lingua dominam conſulat mentem priùs
Quàm quid loquatur. ſapiat huic pectus quidem,
Sed ficta condimenta non quærat ſapor,
Contentus arte ſemper, & ſucco ſuo;
Cui mens habendi parca, contemptrix opum,
Aliena ſpernat, diues in proprijs bonis.
Qui quò iubetur nubis in morem euolet,
Vitamque ſancto vectus afflatu pluat.
Quocumque fertur Orbe: Regnorum omnium,
Nulli tamen iuratus; & ciuis ſimul,
Et exul opportunus eiuſdem plagæ.
Periculis ſuperior in ferrum ruit,
Si poſcat æquum; ſique non poſcat, cauet.
Qui rem, ſalutem, ſanguinem, vitam, necem
Æquè rependit, inque numerato gerit:
Animæ capacis pectus, Heroum genus.
HADR. Quales notaſti Virgo, ſi benè ſum memor,
Tales futuri doctus, ætatum ſagax,
Ferrerius, ille præco ſacrorum potens
(Antiqua memoro) vidit ad Cæli iubar:
Cecinitque poſt volumen annorum affore,
O ſi latentes antè ſub nubem viros
In luce tandem ſera maturet dies,
Oraculiſque tempus apportet fidem!
ECCL. O te beatum prole tam certâ Patrem!
Quàm facilè mundi pondus immenſum feras,
Si tot tibi ſupponat Atlantes Deus?
Sic cùm profundo Stygius erupit furor
Fera bella portaturus in Chriſti gregem,
Mens Imperatrix omnium mundo Duces

Prouidit alacres; qui tyrannorum dolos
Et voce teſtarentur, & foderent ſtilo.
HADR. Lutherus at nunc (Patria, heu! fari pudet)
Impurus, exlex, Hydra tot capitum ferax
Quot ſcelera promit, fœdus errorum faber,
Horrida Latinis bella minitatur Sacris.
Nunc militum virtute, nunc animis opus;
Qui vel ſuorum corporum vallo malum
Amoliantur: hoſtis hic hoſtem vocat.
ECCL. Aderit timorem mitte: nam pectus capit
Neſcio quod intus grande, quod pendet, bonum.
Licet antecedat peſtis, à tergo trahit
Remedia ſecum: librat hæc ſemper Deus.
HADR. Et me futuri pectus arcanum monet.
Sic monita Cælum firmet, & Cæli decus
Matrona Virgo. Virginem affari libet.
Quin vos amicas iungitis mecum preces?
ECCL. Iungemus omnes. vota multorum calcat.

ACTVS I. SCENA VII.

TRIBVNVS *cum* MILITIBVS.

AT tu meorum miles armorum ſequax,
Siccine recenti gaudio innectes moram;
Segnemque ſegnis fluere patieris diem
Felicitatis aureæ primordium?
Age ſenſa placidæ mentis in vultus fluant:
Quid intus agitent corda, teſtentur manus.
Meditare, quæ mox Marte ludicro feras
Simulacra pugnæ ficta; ſeu Troiam libet
Ludere pedeſtrem, ſeu reluctantes equos
Ingenua curſu bella mentiri doces.

Age

Age miles Hadrianus. hæc poſcit fides,
Hæc Patria repetit. redde quod magnum decet
Orbis parentem. nuper Hiſpani arbitrium
Verere mundi, nunc & humani ducem.

CHORVS.

Diua cæleſti generoſa partu,
Quæ pio calcas pede Noctilucam;
Cui legit crines honor, aſtra cingunt,
Ambit honeſtas;
Puberum votis ades; ipſa votum
Maius: ô pœnæ mora, te precamur,
Te verecundâ prece mitigantem
Vindicis iras.
Numen, heu! noſtris vitiis iniquum
Fulminum ſæuos acuebat ignes:
Iamque vibrarat, niſi temperaſſes
Obuia dextram.
Flecte tranquillos, velut antè, vultus,
O laborantis Cynoſura mundi:
Noctis in Regno ſumus ordientis
Numinis ortum.
Cernis errantes ſcelerum cateruas:
Grande quà tendit latus Amphitrite,
Quà Ceres frontem leuat, inferorum
Signa tuetur.
Surgat, ô quiſquam Phlegethontis vltor:
Ducat Herbas mala vindicantes:
Criminum turbet genus, æra priſcum
Vertat in aurum.
Surget: hoc menti ſedet auſpicatæ:

Noctis

Noctis hoc felix nota pollicetur:
Diua ſic omen ſemel inchoatum
Numine firmes.
Poſcimus Pubes, tibi dicta Pubes,
Virgo, cui donum leue dedicamus
Frontis hoc noſtræ decus: huius inſtar
Floreat Orbis.

ACTVS II. SCENA I.

IGNATIVS. SERVI.

ABſcede cuſtos lateris, & quò te vocat
Fortuna maior, ſequere: non vltrà moror
Tua iura: libertatis imperio licet
Per me fruaris: Marte meliori loca
Operam fidelem: perge: nam poſthac ero
Idem ipſe dominus, ipſe ſtipator mei.
SER.I. Abs te vt recedam? SER.II. Si procul potiùs forem,
In hoc volarem: ſubderet pennas Amor
Tibi obſequendi. SER.III. Te vel in flammas ſequar:
Nunc vt recedam? IGN. Crede ſpectatum ſatis,
Quod voce præfers: non ſemel noui fidem.
Abſcede nunc: ſed antè monumentum cape
Hoc ſeruitutis; plura de Cælo precor.
SER.I. Quàm grauia ſint imperia, teſtamur Deum;
Tamen obſequemur. SER.II. Semen Heroum vale.
SER.III. Numquam tuorum iura meritorum excident.

ACTVS II. SCENA II.

IGNATIVS.

FVgimus auarum littus, & pelagi ſinum
Importuoſum ratibus: in tuto ſumus.
Enauigatum: fugimus: pretium fugæ,
Palmaris eſt triumphus. ô nemorum quies
Amica ſalue: tuque præcipitis iugi
Amœnus horror. venit en tandem dies,
Cùm vos reuiſam victor, & veſtris fruar
Securus antris. Vmbra, virtutum color,
Dudum mihi petenda, quàm ſerò places!
Nox hoſpitalis, & triumphorum parens,
Cui deuocatum Numen è gremio Patris
Accipere licuit Matris incluſum ſinu;
Amplector omen; accipe hanc animam precor,
Elementa vitæ prima conantem ſequi.
Quidquid dierum viximus, morti datum:
Quod reſtat, hoc viuamus: ætatis vigor,
Quamuis Meridianus, Orientem petat.
Benè auſpicatum ducimus vitæ caput,
Quâ nocte vitam cœpit ordiri Deus.
O me beatum! cui voluptatis liquor
In pectus vndat, ſeque nec pectus capit.
Vos, aſtra, teſtor, agmen in Cælo vigil,
Orbiſque ſempiternus errantis chorus;
Oculi, quibus reconditas Superûm domos,
Et Numen immortale mortales vident:
Diuinitatis intimæ ſcena extima:
Dum vos auaro ſæpè conſpectu fruor,
Dediſco rerum pretia; tum gemmæ iacent;

Tum pallet aurum: non habet flores humus;
Et quæ placebant antè, tunc ſordent opes.
Tu fulgurantum ſiderum princeps honor,
Duodena cuius aſtra tranquillant comas,
Quæ ſiderum calcando Reginam premis,
Regina maior, Sole diuino minor;
Me fluctuantem fronte, quâ cælum beas,
Tuere Mater: finge me qualem iuuat
Tuum videri: cordis in Regno ſedes,
Diua Imperatrix, impera quod te decet;
Tuos pudores, & verecundas niues,
Quæ non fatiſcant tabe, non æſtu fluant,
Aequi tenorem, rebus in ſummis fidem,
Satellites amoris irati metus,
Vultu ſerenos ſemper, armatos manu.
Hæc vota facio; plura mox faciet Amor
Orator animi: pedibus aduoluar tuis,
Tuas ad aras, Virgo; venientem excipe.

Hîc IGNATIVS *in Templum* VIRGINIS *ſubit, & Scena mutatur in Theatrum.*

ACTVS II. SCENA III.

MILITES *ludibundi.*

MIL. ABſceſſit Hadrianus accitu Patrum
Ad regimen Orbis. Roma ſpectabit Ducem
Cælo cadentem. ſic ſenectutem ferat,
Seruetque viridem: ſceptra ſic longùm gerat,
Et quos meretur vita, traducat dies.
At nulla campus feruet in ſpectacula?

Lan-

Languet iacetque puluis haud vllo pedum
Flictu citatus? MIL. Præſes edixit tamen.
MIL. Audin? monemur. Præco iam ſignũ canit.
TRIB. Abſcede caueâ miles: extremum occupa
Hinc inde campum: medius à turbâ vacet.
En gratulantum pompa ludorum imminet.

Hic datur pedeſtris prælij Simulacrum.

ACTVS II. SCENA IV.

NVNTIVS.

O Prima virtus Orbis Hiſpani, Duces,
O ſpes ſalutis prima: ludorum ſatis.
Mauri rebellant: fama ſic vulgò canit.
Et iam propinquo Martis arcani dolo,
In noſtra ferrum damna iuratum gerunt.
Vos otioſa detinent ſpectacula?
Ite, agite, deſes patriæ ac mundi lues
Ferro prematur antè, quàm patriam premat.

Hic Scena mutatur, & imaginem præfert Infernæ ſedis.

ACTVS II. SCENA V.

REX INFERORVM. MALI GENII EVROPÆ, ASIÆ, AFRICÆ, AMERICÆ. TVBICEN *cum recuruo cornu.*

TVB. Adeſte quotquot eſtis vmbrarum duces;
Vos Imperator huc Auernalis vocat.
EVR. G. Quid hoc ſonoris? AS. G. Quid noui tandem intonas?

 AF. G. Quis,

AF. G. Quis, ô labores turbat,& curas meas ?
AMER. G. Malè ſit vocanti. præda dilapſa eſt manu.
R. I. O prima Regni cura Tartarei, cohors
Meliore ſolio digna, ſi Superi parem
Non inuiderent ſedis æternæ Ducem.
Nunc quando potuit capere nec Cælum duos;
Tu ſocia mecum paſſa fortunæ vices,
Sæui Tonantis vindicem ſentis manum,
Vnumque pretio facinus æterno luis,
Affixa ſcopulis, vnde moliri gradum,
(Ecquæ furori meta?) vis maior negat.
Eheu! paternâ ſemper excluſi domo,
Patriæque ſemper exules (durus Pater!)
Hereditatis quale ſortimur genus?
Exilia ſempiterna, damnatas opes.
OM. Miſeri cæco carcere clauſi
Luimus pœnas miſeri æternùm.
Semper acerbo matura metu
Pectora gerimus: ſemper inultum
Scelus, & nullo fine piandum.
Quantum nobis dura ſeneſcit,
Tantum didicit pœna renaſci.
Hydra malorum confecta magis,
Magis exoritur; nec, licet auctu
Diuite viuax ignis abundet,
Fecunda premit ſemina colli.
Sæuæ patimur vulnera mortis;
Quæque vna malis afferret opem,
Ipsâ miſeri morte caremus.
Numquam cælo tollere vultus,
Nullam liceat niſi flammarum

Cernere

Cernere lucem?
Miſeri cæco carcere clauſi
Luimus pœnas miſeri æternùm.
R. I. Solare gemitus,turba: ſi miſeri ſumus,
Non ſumus inulti. Cernis, ô rerum Arbiter,
Quàm ſæpè prædas agimus in Regno tuo;
Quàm facilè vbique vincimus victi ſemel;
Et in futurum ſemper,vt ſpero,magis
Illata cernes damna: ſic pectus canit.
Magnum, ſodales, inſtat: hoc cauſſæ fuit,
Cur ex remoti quattuor Mundi plagis
Vos euocarim. nempe conſulto eſt opus.
Neſcio quid Orbis parturit: nutat diu
Incertus vtram potiùs in partem cadat.
Quamquam tenemus ſceptra terrarum omnium,
Nec eſt triumphis ora quæ noſtris vacet:
Orbem videmus colla ſubdentem iugo
Iam victa,iam manſueta; iam frænum induit,
Noſtraſque patitur arbitras fræni manus.
Tamen otiandum ſi quis idcircò putat,
Ignarus errat. Sæpè quod vicit labor,
Secura nullo fine profundit quies.
Ergo opprimendum quidquid eſt mundi ſuper;
Vrgenda pars eſt reliqua dominatu pari.
Vos agite, quando pulchra ſe ſpondet ſeges,
Metite, coloni criminum, meſſem mali.
OM. Adſumus. EVR. G. In omnem ſtamus
euentum. AS. G. Iube,
Parebimus. AFR. G. Quocumq; duc. AM. G. Omnes ducem
Sequemur. OM. Omnes. R. I. Ardor animorum placet:

 Laudo

Laudo nocentes. ſed reſeruandus furor
Alios in vſus. interim fluctus cadant,
Meliora ne conſilia turbando obruant.
Arbitria menti certa pacatæ ſedent.
Diſcendus antè publicus mundi ſtatus.
Superi minantur Inferis: & iam plagas
Medij fatigant Orbis, vt poſcant opem.
Quin & nouus ſucceſſor hic Petri ſenex
Promittit, ô quàm multa, quæ præſtet parum.
Adeſſe tempus ſomniat homo credulus,
Quo mundus inſtauratus immutet vices.
Mutabit; equidem fateor; in peius tamen.
Vnde micat illis fulgor hic falſæ ſpei?
Et quod minantur, parte quâ ſurgit, malum?
Voluamus animo ſingula, vt cautos decet:
Luſtremus & quò ſumma ſit rerum loco:
Hoc agite ſodes. AS. G. Aſia me tellus manet,
Cui ſum locatus Præſes: haud partes meas
Deſiderari patior: his campis meto.
Quæ pars patentes cognita acceſſus habet,
Commercioque fruitur externi maris;
Contraxit aliquid, vnde metuendum foret,
Ne ſemen emicaret ingentis mali.
Sed nempe mecum luditur: cui nec dolo,
Nec arte, nec virtute ſe quiſquam ferat.
AM. G. Tu ne reponas dubia pro certis, caue.
Secura nimium vela tempeſtas quatit.
Quàm ſæpè ſurgit, vnde non timeas, malum!
EVR. G. Non inquietus ille Luſiadum vigor,
Mariumque terrarumque tentator, placet.
AFR. G. Hic ſcopulus hæret, ſpemq; ſurgentem
opprimit.

AM. G. Meo

AM. G. Meo periclo diſce, qui neſcis tuum.
Latebat Orbe nuper ignoto Braſil,
Peruuiumque diues: at poſtquam impiger
Americus explicauit ad ventum rates,
Cœpitque longi ſpatia ſcrutari maris;
Mea regna vidit: nec repugnanti ferox
Mihi ceſſit vmquam: quotquot obieci minas,
Naufragia Stygio quotquot inflaui Noto;
Tot ille celeri claſſe calcauit moras,
Tot bella vicit: donec in Regno meo,
Spectante me (ſceleſte!) me pulſo ſtetit.
EVR. G. Tam facilè victus cedis? ô timidum malum!
Imitare me, me ſequere, qui ſtantem gradum
Animumque potui figere Europæ in ſinu.
AFR. G. At linteati pecoris hîc multi greges;
Inimica nobis ſacra qui tractant manu,
Emancipata Numini mapalia;
Obſtipa ſemper colla pietatem autumant.
EVR. G. Hinc mihi triumphus: in ſuo quis non habet
Ius facile Regni? quiſquis alieno imminet,
Hic Imperator, ſi quod attentat, domat.
AS. G. Quâ vincis arte? EVR. G. Quâ ſolent homines capi;
Specie bonorum, fronte ſimulatâ, dolis
Nihil otioſum linquo: cùm tempus monet,
Facies in omnes verſo præcipitem molam
Animi nocentis, piſtor egregius mali.
Me me ipſe tantus myſta confundo ſacris,
Et in hac ſuum committo vermiculum cedro.
O quàm frequenter iacta, quàm bellè cadit

Alea malorum! REX INF. Fare, quis Regno ſtatus?
Quæ meta fraudum? EVR. G. Moris antiqui nitor
Illuxit olim; diſcolor nunc eſt ſibi:
Forum piaculare iamdudum ſilet:
Iudicia nulla: rarus in templis cliens:
Peccata multi deuorant, pauci vomunt:
Pudet fateri ſcelera; moliri decet.
Sacras ad aras turba Chriſtiadum infrequens
Deum quotannis libat ex vſu ſemel:
Conuiua poſthac nullus; aut ſi quis tamen,
Digito notatur: arma, bellorum furor,
Viuax opum cupido, regnandi ſitis;
Hæc turba rerum, ſtrepitus hic aures ferit.
Priuata ratio publicum euertit bonum,
Languet Tonantis cultus, & nutat fides.
R. IN. Audiſtis? ô præclarus errorum faber!
Italia numquid, vt ſolet, contrà mouet?
EVR. G. Italia? fatis agitur: in partes abit
Ignara quantum poſſit: hinc armis fauet
Seruitque Iberis; hinc Aquitanis ſtudet:
Vtrimque premitur. interim bello grauis
Procella, vitiis grauior exonerat ſinum.
R. IN. Quid Gallus? EVR. G. Arma fortis Hiſpano ciet.
Iam prouocatum pectus Heroum flagrat;
Meoque ventilatur afflatu rogus.
Geminas phalangas inter, & populos duos
Depræliantes, tertius prædâ fruar.
R. IN. Quo res loco Germana? EVR. G. Quo numquam fuit.

Vnus

Vnus homo, ſoboles noſtra, Lutherus polos
Verſat malorum: vulgus attonitum rapit
Vertigo fraudulenta. conetur licet
Carolus, iniquam ſiſtere ruinam nequit.
Cogat Senatum Principum, leges ferat,
Impunitatem ſtatuat, intentet minas:
Wormatia nihil euicit, euincet nihil.

ACTVS II. SCENA VI.

REX INFERORVM. MALI GENII EVROPÆ, ASIÆ, AFRICÆ, AMERICÆ. GENIVS LVTHERI MAGISTER, *curru per aerem inuectus.*

AFR. G. Vtrúmne viſus fallit, an Genius redit,
Qui dedocendo vetera Lutherum nouis
Studiis reformat? AS. G. Venit in tempus vafer.
EVR. G. Ades, ô magiſter artium. AM. G. Morum arbiter
Salue. REX IN. Recoctus ſcriba quid portat noui?
LVT. M. Vicimus. iniquos tulerat in caſſes pedem
Lutherus, & vix fugit hoſtiles dolos:
Tamen dolos euaſit. ad Patmum ſedet,
Et fit ſedendo doctior; magnum mouet
Dum me magiſtro, condit errorum ſcholam.

R. IN. Meliora poſthac. antequam pugnet, cadat?
Tragœdus ille criminum claudat prius
Diræ ſupremam fabulæ cataſtrophen;
Mox è theatro, Ditis in ſcenam exeat.
Quam tibi probauit indolem? LVT. M. Qualem decet
Probare noſtrum ſemen. ingenium viro
Geniale, fraudum docile, conſilij capax.
Præcepta celeri præuolat mentis gradu:
Quin anteuertit multa quæ vel me latent.
Etiam magiſtro melior eſt, quamquam optimo.
Quantam malorum ſolus Iliadem ſapit?
EVR. G. Necdum veneni germen effudit nocens?
Adhuc quieſcit deſes? LVT. M. Hæc olim quies
Verſabit Orbem: cardines ſcelerum locat;
Quin & ſequaces ducit in caulam greges.
Nec vnus errat; agmen errantum præit
Abactor armentarius. quidquid ſerit
In vulgus, ex oraculo dictum putant.
REX IN. Tantámne ſubitò ſceleris expreſſit fidem?
LVT. MAG. Accipe quod actum nuper: ex vno potes
Arguere fraudum capita reliquarum ſatis.
Damnarat artes libero dignas viro
Lutherus, & quas doctus inſtillat Plato,
Et quæ ferax arcana Stagirites docet,
Et quæ fluentis ſenſa Socraticis madent.
EVR. G. Quid liberalis turba? LVT. M. Quod ſerui ſolent:

Demittit

Demittit aures, mentis vt ſtolidæ pecus:
Docentium ſe ſubtrahit paſſim foro:
Seruilis auctor operis exercet manus.
REX IN. Res digna riſu. ſed locus riſu vacat:
Vacat voluntas. fare quod tentant opus?
LVT. M. Sunt quos aratrum more Romano iuuat:
Atque à Mineruâ transfugæ, Cererem colunt.
Operam Melanchthon nempe piſtrino locat:
Ibique potiùs criminum verſat molam,
Scelerumque maſſam ſubigit. at Iuuenum cohors
Meliore feſtum ludicro ſepelit diem.
Exaggeratos tollit in cumulum libros
Non vſitatâ mole; dixiſſes pyram.
Mox ad cataſtæ nobilis frontem arduam
Apponit ignes. Subitus exurgit rogus
Helluo librorum, ſcripta momento vorat.
Hinc inde ſiluam flamma ſapientem legit:
Labore iuuenes liberat, & Orcum metu.
REX IN. O liberale facinus! EVR. G. O dignum ioco!
AS. G. Sapientiæ ſic funus extinctæ facit
Amica pubes. AFR. GEN. Potiùs huic Regno litat.
REX IN. Nunc imperamus, nunc & in cælo ſumus.

ACTVS II. SCENA VII.

REX INFERORVM. GENII EVROPÆ, ASIÆ, AFRICÆ, AMERICÆ. GENIVS LVTHERI MAGISTER. HISPANIÆ GENIVS *curuli nube aduectus.*

HISP. G. Occidimus. AFR. G. Aures pepulit attonitas ſonus
Funeſtus, execrandus, illætabilis.
HISP. GEN. Occidimus, aulam teſtor inferni Iouis,
Niſi prouidentem, Diue, ſupponis manum:
Caſum minatur regni Auernalis ſtatus.
R. IN. Quis hic repentè terror? an cælo ruis
Iterùm paterno? leuiùs id ferres malum.
HISP. G. Cælo fugatus vereor è terris fugam.
Hiſpana regio, cuius Imperium obtigit
Mihi temperandum, fluxit ad votum diu.
Fomenta bellum triſte criminibus dabat.
Nauarra tacuit. ſed rebellantum furor
Euentilandus cinere compoſito latet,
Aliudque bellum rurſus ex alio ſerit.
Maurus per Orbis fuſus Hiſpani plagam,
Materia facilis Tartari flammis erit.
Has ego cruentæ gentis accenſas faces
Iam ſuſcitaui ſpiritu, vt meliùs flagrent,
Rebuſque turbamenta pacatis vehant.
Eſt ille demum concolor noſtro rogus;
Securus ardet: vnde ſollicitor, metus

Non

Non hinc vaporat. REX IN. Ede, quid Superi
coquunt?
HISP.G. Quod deprecētur Inferi: magno malum
Timore maius: falſa ſic vates canam.
IGNATII ſat facta, ſat noſti genus,
Quem Pompelonis vidimus ad arcem diu
Tolerare Martem; donec, ærato tubo
Fulmen procul vibrante, proſtratus ruit.
R.IN. Antiqua memoras: tempore ex illo ſibi
Diſſimilis, argumenta perculſæ dedit
Non dubia mentis; quin vt inſpexi, intimo
Magnum quid animo voluit. HISP.G. En ipſos metus
Tyranne tangis: en cicatrici locus.
Nunc ille Loioleus, (ô rerum vices!)
Quod tacitus incoquebat, effudit nefas.
Patriam, Penates, iura, famulatus, opes,
Quidquid beati, quidquid eſt læti vſpiam
Abominatus, ſpemque ſurgentem inſuper,
Quin ipſe ſemet liquit à tergo fugax.
En ad remotam rupis exeſæ ſpecum,
Quà Virginalem ſuſtinet vertex domum,
Sacras ad aras vota denarrat, quibus.
O vota formidanda Tartareis plagis!
R.IN. Quid ille ſecum muſſitat? HISP.G. Noſtram luem,
Noſtrum venenum conficit, Cæli magus.
Proprium ſaluti publicæ pectus vouet;
Interminatur multa, præclara, ardua,
Tranquillitatem ciuium, vitam Ducum,
Virtutis incrementa, pietatem, fidem,
Morum iuuentam, ſæculum verè aureum.

Optat, relicto Dite, vexillum Crucis
Totus ſequatur Orbis: hoc voti caput.
R. IN. Quid hominis hoc eſt, ſiue quid monſtri magis?
Vix dedicatum pectus admouit Deo,
Elementa lambens prima, virtutum rudis;
Orbis ſalutem, Numinis Regnum crepat?
AFR. GEN. Vidi ipſe multos, Ditis excuſſo iugo,
Vitæque ſanctioris ingreſſos iter;
Qui perpetrarint multa; ſed nullum ſcio,
Qui tam repentè factus ex paruo gigas
Sublime facili tangeret Cælum manu.
Hic, quem veremur, terga vix Orco dedit,
Vix benè ſubactus: redditus nondum ſibi,
Meditatur Orbis Regna lucrari Deo.
Non hæc iuuandi tanta prurigo placet.
HISP. G. Hoc vulnus eſt, quod nuper à ferro dolet.
Inuſitatus ille votorum vigor
Neſcio quid animo maius humano ſapit.
En actus œſtro, mente fatali impotens,
Deliberatum iurat ad Solymos iter:
Vt hoc theatro ſpiritum primum hauriat,
In quo profudit vltimum, heu! vitæ dator.
EVR. G. At me paratum ſentiet: faxo ſciat.
Quem prouocauit lictor, haud Solymis pedem
Auctore me locabit impreſſum diu.
AS. G. Erras, & illuc eſſet arcendus, niſi
Sponte aduolaret. magnus in paruo, parum
Nocebit anguis. angulo lateat breui,
Ne diuagetur. cogitet Romam, caue,
Iniqua peſtis: nempe terrarum procul
A cer-

A corde diuertenda, ne noceat lues.
AM. G. Quid ſi redundet fœdus anguſto liquor
Excluſus alueo? grande diluuium ferat
Quocumque corriuetur. EVR. G. Opponam dolos.
Et tempus & fortuna præſtabunt opem.
R. IN. O ſocia ſcelerum turba, ſi rerum licet
Euenta prouidere, quàm vereor malum
Nox ordiatur vna multorum caput.
Captare tempus nouit impurus latro.
Meminiſtis illum noctis infauſtæ diem?
AS. G. Auſpicia memini ſæua. AFR. G. Truculenta. AM. G. Horrida.
EVR. G. Tractas acerbum vulnus. HISP. G. O luctus graues!
In noſtra cecidit damna de cælo Deus.
LVT. M. Et caſus importunior noſtro fuit.
AM. G. O nox nouerca noctium, ſcelerum chaos,
Mortalitatis vita, quid tandem paras?
Aut quid paris? AFR. G. Mirare, ſi magnum parit?
Concepit olim maximum. AS. G. Timeo fabrum,
In nocte qui meridiem lucis creat.
OMN. Mœroris ô tributum!
O ſempiternus horror!
O vaſtitatis vmbra!
O triſtis vmbra noctis!
Tibi ferax bonorum
Amanda pulchritudo;
Nobis capax malorum
Horrenda ſolitudo.
Tu ſemper inuidendo
Die, Deoque rides;

Nos

Nos occidente ſemper
Vtroque lacrymamur.
Qui finis eſt doloris?
Exordium laboris.
Vno cadente ſurgit
Malum priore peius:
Quàm Tartarus rebellat,
Tam pœna nos flagellat.
O terror inferorum!
O luctus! ô reorum
Æterna mœſtitudo!

R. I N. At cur malorum legimus annales adhuc,
Seroque lamentamur excidium vetus?
Non hoc querelis tempus iniuſtis vacat:
Meliora poſcit. corrigi quidquid nefas,
In peius vrgeatur, vt leuiùs cadat;
Malumque conſoletur acceſſus mali.
Age quid moraris turba, quid ſegnis ſtupes?
Indue ſeuerum pectus, & fraudum capax.
Maiora verò ſemper exauget timor
Periculorum damna. Regnorum ſtatus,
Vt nunc iacet, mortalium, bellè iacet:
Quid ſit futurum, mitte ſectari; ſatis
Diem docebit poſterum anterior dies.
Hoc fraudulentum pectus, hoc cælo caput
Teſtor tremendum: iuro per regnum Stygis,
Omnes retexam ſceleris antiqui modos,
Repetamque fraudes, vnum vt extinguam ſcelus.
Loiola quo te cumque conuertas, ſequar.
At vos per omnes ite terrarum plagas,
Animæ nocentes: ite quà cælum patet.

Incendium ruina reſtinguat, faces
Facibus premantur, ſcelere vincatur ſcelus.
AS. G. Paremus omnes, & catenatum nefas
Ducimus in orbes orbium nexu graues,
Quibus obligetur quiſquis hoc Regnum cauet.
R. IN. Tu quem ſatorem fraudis egregium manet
Hiſpana tellus, pectus immenſum admone
Scelerum ſuorum; tumet hortator tui,
Inuade facinus. Ille deſertor domus
Patriæque Loioleus incumbat tibi.
Conſilia mentis excidant; aut, ſi libet,
Parturiat animo multa, ſed, pariat nihil.
Hic murus eſto: ne quid attentet noui:
Hoc crimen amolire; ſat noſti modum,
Vt potiùs ipſum peſtis auctorem petat.
HISP. G. Non ſum rogandus: offici memorem
mones.

Hic Scena redit ad imaginem Montis Serrati.

ACTVS II. SCENA VIII.

HISPANIÆ GENIVS.

ERgóne malorum nomine appeller bonus,
Nec eſſe poſſim ſtrenuus, ni ſim nocens?
Et tamen auitum trahimus è cælo genus.
Quid tu fugax inquiris in ſtirpem? iuuat,
Iuuat excidiſſe veteris è Regno Patris.
Quid anime titubas? ſurge de vili. decet
Redimere lapſum ſcelere, qui pœnâ ſtetit.
Eſſe innocentem pudeat. Ignati caue:
Olim paternis excidi è Regnis, tibi.

Mea te petit iactura, te vulnus meum.
Non tam ſupinas Inferi geſtant manus,
Vt ad Tonantis damna pertingant: ſed eſt
Quiddam Tonanti proximum. hoc paucis volo.
Quæ ſcelera primùm? deinde? quæ demũ ſequar?
Placet euocemus criminum primos Duces.
Ades è profundo Tartari emiſſum ſpecu
Agmen malorum: fraudis adiutrix ades
Caterua formidabilis: te nunc vocat
Inſolitus, & te dignus ad Superos labor.
Huc è latebris procede nigris,
Flebile vulgus: non vt merſum
Geris æterno ſquallore caput.
Pone rigorem frontis, & angues:
Non teda manus armet inertes.
Intus in animis hæc forma placet:
Grauis in vultu reſpiret honor.
Non ſunt ſolitæ ſatis inſidiæ:
Proprium vincat dolus ingenium.
Ipſum phaleris ſcelus ornandum.

Hic aperto hiatu, Vitia ſingillatim vt euocantur, prodeunt.

ACTVS II. SCENA IX.

HISPANIÆ GENIVS. HÆRESIS. IMPERII RATIO. ATHEISMVS. IDOLOLATRIA.

HISP. G. TV primus eſto, qui Tyrannorum incolis
Et perdis Vrbes, machinator facinorum,

Ius imperandi. Perge plus nimio pius,
Cultus Deorum. Tu pius iuſto minùs,
Qui prouidentem tollis è mundo Deum,
Epicure noſter, ſequere. poſtremam volo
Hæreſin: vtroque peius idcircò malum,
Quòd turpe matris eſt abortiuum optimæ.
Placetis omnes hiſtriones criminum.
Quantum malorum fronte quàm blandâ latet?
Adeſte magnum columen Inferni Iouis.
HAERES. Adſumus in omnes ductor euentus.
IMP. RAT. Iube.
ATHEIS. Verſamus vrnâ pectoris ſortes doli.
IDOL. Fraus ſemper exitura quodcumq; extrahas.
HISP. G. Eſt quod laboris exigat veſtri fidem.
Noſtis minoris Virgines mundi arbitras,
Quibus Orbis vniuerſus incumbit ſtatus?
Ergo Imperatrix Diua, quæ Chriſti gregem
Parit, tuetur, format, & gremio fouet,
Illas Latino nuper adiunxit Patri.
Nunc ſemper aures obſidet, ſtipat latus,
Ducit, reducit, lene tormentum admouet,
Et ſemen inſuſurrat ingentis mali.
Si cantilenam pergat oratrix grauem;
Orbi timendum, quantus amplexu patet,
Ne tantus atrum Ditis excutiat iugum.
Hic cardo ſcelerum ſtabilis. O ſuperum genus,
Si diſtinetis criminis tanti metum.
Vacate. nunc amiſſa libertas redit:
Si quod veremur crimen, amolimini.
Exite purioris ad Cæli faces:
Inficite veſtrâ nocte naſcentem diem.
Vos ego malorum ſocius, & fraudum faber,

Mentitus habilem militis vultum, ſequar.
IMP. R. Ego iura Regni primus obijciam: metus
Subdam ſequaces: ne quod eſt partum diu,
Specie bonorum, fraude pietatis fluat.
Sit ſtabile Regnum, reliqua cum Cælo cadant.
ATHEIS. Ego dulce libertatis opponam decus.
Quid eſt habere Numen? eſt dominum pati.
Suum cuique numen eſt animus ſatis.
Quid quæris extrà? tute quod tecum geras?
IDOL. Ego deſtinatâ victor in cauſsâ feram
Antiquitatis nomen, & veteres auos;
Qui quos colebant, fecerant ipſi Deos.
Non eſt auara Numinum cæli domus,
Tam liberalis ſiderum numerus iuuat.
Patieris vnum, facere cùm multos queas?
HAERES. Rerum nouatū nuntius ſemper placet.
Poſt ſeruitutem dulce libertas bonum.
Hæc mihi probantur tela. perſonam gerunt
Fraudes meæ, nec ſcelera pietatem abnuunt.
IMP. R. Naſcentur ex re multa. conſilium dabit
Arena melius: agite, quid ſegnes adhuc
Præmoliamur verba, dum factis opus?

CHORVS.

Quæ turbat placidi pectoris otium
Tempeſtas animo nata ſub intimo?
Quæ nox ſollicitudinum
Vincit ſæua meridiem?
An falsâ potiùs ludor imagine?
An nobis, ſocij, ſomnia fingimus?
Rarò ſomnus amantium
Falſos nuntiat exitus.

Sic

Sic eſt. Tartareis ſedibus abditas
Vmbras, & Superis monſtra minantia,
Inter nubila vidimus:
Nec mens nubila ſomniat.
O vis, ætherij filia ſideris,
O luctus domitrix, ô fuga noctium,
Quis te lucis originem
Nigror pallidus inficit?
O tellus Stygijs merſa vaporibus!
O mundi facies ebria lacrymis!
O ſpes obruta fluctibus!
O proles Erebi metus!
Heu! luctu miſeri diuite paſcimur:
Heu! nobis, comites, Tartarus imminet.
Palmis pectora tundite:
Cælo tendite dexteras.
Incompoſta placet forma dolentibus,
Rarò mœſtitiem pompa remollijt.
Cultum ſcindite pectoris:
Sertum mittite verticis.
Sed maior trepido fama periculo
Vanis ſollicitat corda tumultibus:
Orcus ſpicula diriget,
Cælum pro clypeo teget.

ACTVS III. SCENA I.

HISPANIÆ GENIVS *ſub perſonâ militis.*

ADſum decori militis vultum gerens:
Gladiator Erebi certus: incertus tamen,
Adſim doloris potiùs, an doli capax.

Quam-

Quamuis vtroque diues, alterutro miſer,
Mihi dolorem molior, reliquis dolos.
Simulare totam fraude naturam decet;
Inducere frontem, verba mentiri, ambitum
Accommodare rebus, imitari Ducem.
Loiola fraudum neſciens in me putet
Ipſum videre ſpecimen, & vultus notas
Veteris amici, cuius expreſſum gero
Simulamen oris. Serere quis falſum vetat?
Vt ſpero, verum crimen ex illo metam.
Quâ parte durum pectus aggrediar priùs?
Meditare fraudum tela, quæ tutò rotes.
Opum cupido primus accedat labor.
Non his agendum: larga donandi manus
Semperque habendi parca Loiolæ fuit.
Generoſus animus non poteſt auro capi.
Quid luxus aulæ? Miles aſſuetus malo
Ad dura vergit. Forſan humani maris
Siren voluptas pectus excantet ferox.
Non audietur: vera ſi vultus docet,
Obſtruxit aures Virgo, quæ caſtum latus
Cinctu pudoris finxit: en ſenſu vacat
Omni malorum. Fratris opponam preces
Blandæque tela vocis, & ſenſus pios.
Nil agimus: armatura ſunt iſthæc leuis.
Quid anime ceſſas? prome, ſi quidquam potes,
Grauiora tentamenta: quid nugas agis?
Non eſt iocandum; ſerios hoſtes viden?
Hoc præſtat: auidum pectus armorum gerit;
Capiendus armis: arte vincendus ſemel,
Quâ ſæpè vicit; impetum mentis ſequar.
Quo quiſque delectatur, hoc frangi ſolet.

Natura

Natura telum melius. Vt nunc eſt, hebet.
Acuamus, atque vtamur. Acceſſit modò
Dux Naiarenſis onere votorum grauis,
Superba Matri dona Virgineæ vehens:
Et militarem Cæſaris iuſſu manum,
Inhoſpitales Thracas aduerſum, legit.
Huius vetuſtum ſanguine propinquo genus
Loiola tangit, vtar aduentu Ducis:
Non potuit opportuniùs: ſaxo alteri
Occurrat alter: Marte committam duos:
Pannoſus hoſtis forſitan cauſsâ cadat,
Bellumque rurſus comite tam iuſto petat.
Frangetur. hæc ſpes vna. non fugies manus
Fugitiue noſtras. Eſſe me Cælo ſatum
Diſces paterno. quidquid infudit parens
Aut fraudis, aut virtutis, effundam ſemel.
I nunc, auito pelle nos Regno, Deus.

ACTVS III. SCENA II.

ECCLESIA.

O Semper anceps mentis humanæ iubar,
Quàm dedoceris facilè, quæ diſcis diu!
Nutas, renutas; quod ſequebaris, caues;
Vtrumque vento citiùs: ô ſenſus breues
Animi perennis! Regna terrarum modò
Abominata ſceleris antiqui iugum,
Ad genua procidêre Romani Patris.
Per me ſalutem ciuium, per me fidem,
Per me rogarunt ſæculum terris nouum.
Nunc quantus ore, quantus aſpectu patet
Animus!

Animus! priores ſceleris illecebras amant,
Et immigrarunt rurſus ad ſpecimen vetus.
Labimur eodem. Chriſte tu rerum quies,
Æternus, immutabilis, nullo tenor
Inflexus æuo, ſtabile momentum tui,
Pondus tuorum; motor, ac motu carens:
Fugientis auctor temporis; ſed non capax:
Tu diſſidentum ſiſte Regnorum impetus,
Tu nuper in peiora procliuem gradum
Moderare nutu: redde meliori auiam
Voto iuuentam, retrahe, ne præceps ruat.
Qui fluxit à te, redeat ad fontem vigor,
Statumque ſortiatur Auctori parem.

ACTVS III. SCENA III.

ECCLESIA. MICHAEL. BONI GENII EVROPÆ, ASIÆ, AFRICÆ, AMERICÆ, *in Cælo,* ~~*& Eccleſia.*~~

ECCL. QVid hoc theatri? ſcena quæ Superûm intimos
Pandit receſſus? adyta num cæli patent?
Agnoſco vultus: Præſes ô ſalue meus.

Hic rapitur altiùs Eccleſia.

At me curuli nube ſublimem rapis?
In aſtra certè rapior. O rerum ſalus
Vnica mearum, Michaël, ad te feror.
MICH. Coniux Tonantis Diua, terrarum potens
Matrona militantium; quid me graui
Planctu laceſſis, teque cæleſti ſatam

E ſtirpe,

E ſtirpe, lacrymando, fatorum iubes
Sentire legem? ECCL. Nempe quòd lacrymæ
decent.
Noſti, quid Orbis Imperatrices ferant,
Quid moliantur. nuper ad votum meum
Animos iniquis flexerant victos malis.
Vos incitaſtis Regna, Regnorum Duces:
Vos mentis indidiſtis arcanæ impetum,
Vt flagitarent rebus acciſis opem.
Petiêre. quid retrorſus à voto excidunt?
Quid me priorum criminum hortatu cauent?
Deſerta, deſtituta, vix hoſpes mei,
Toto repellar Orbe, nec fletu querar?
Non errat animus: ſpero, nec cedit gradu
Senſus profundæ mentis impreſſus mihi
Auctore te. Sed nempe qui ſperat, timet:
Voti fidem non metuo; ſed voti moram.
Et quando terras certa luſtrabit ſalus?
MICH. Omitte queſtus Virgo. quid cauſſam
grauas?
En occupauit antecedendo preces,
Qui ſæpè vota fine votorum præit.
In hoc Senatu iam peroratum ſatis
Commune terris gaudium. Si quid parant
Vmbræ nocentes, Orbis vt vincant plagas,
Alioque quàm quò Numen inuitat, trahunt;
(Nam, quid patrarit Tartarus, quid mox coquat,
Superi tenemus) ſi parant vallum malo,
Quod ab receſſu nuper Hiſpano timent;
Vtrumque diſſoluemus. armatos vides
Lateri refuſos? Præſides mundi vides;

Quos conſulentes rebus humanis dedit,
Dum Regna moliretur, omnipotens faber.
EVR. G. Ego imminentes hoſtis inferni dolos,
Qui damna machinantur Europæ, premam.
AS. G. Auctore me compreſſus è ſolio cadet
Aſiaticæ Regnator infernus plagæ.
AFR. G. Mihi Tyrannus Africæ genius luet
Pœnas malorum, vetere depulſus lucro.
AMER. G. Per me profundo merſus Acherontis lacu
Timore liberabit Americam furor.
MICH. Hic primus aditus, hoc rudimentum boni.
Meliora ſortiêre, quæ cælum fouet.
Magno paratu Dius animorum ſator
Neſcio quod aptum publicæ pectus rei
Informat: & iam criminum noxas lauat:
Iam vetera purgamenta conſumit rogis:
Ad âuream virtutis incudem expolit:
Vas inde fabricatur electum, capax
Cæli latentis: cuius imperium potens,
Magnumque IESV nomen ad pôpulos vehat.
ECCL. At qui ſalutis auctor optatæ precor?
MICH. Non antè ſurgens ibit in noctem dies,
Quàm flagitato liceat aſpectu frui;
Obſcura nunc indicia venturi canam.

Hoc loco aperitur Templum, & apparet penitus IGNATIVS, *ante aram* VIRGINIS, *affigens & dedicans Arma.*

Illum, pudicæ Matris in templo, vides?
Qui ſupplicante nixus ad terram genu,

Cælum

Cælum laceſſit, quod dehinc humeris regat?
Felicitatis illud immenſæ caput,
Vir Martiali nuper ingenio ferox,
Detracta viden vt ſpolia ſuſpendit tholo?
Nempe alia quædam genera bellorum mouet;
Animumque munit, membra dum ferro leuat.
Tu fida pubes vade pernici gradu,
Quà procreatrix officina fulminum
Cæleſtis armamenta militiæ coquit:
Huic pro relictis ſtrenuè mortalibus
Quæ geſſit armis, aliud armorum genus
Cæleſte fabricare; ſic Numen iubet.
Quin & futuro texe vexillum Duci,
Quod magnum IESV nomen inſcriptum gerat.

ACTVS III. SCENA IV.

IGNATIVS. MICHAEL. ECCLESIA.

IGN. Benè eſt, beatè eſt; leuius ô quantò feror,
Inermis ex quo militis pectus gero!
Ætas in aurum confluit; ferrum vale.
Iam vota dixi, iam ſacramentum Deo.
Melioris omen Imperatoris ſequor.
O mihi liceret, bruta quà tellus patet,
Tanti beatum ferre vexillum Ducis!
MICH. Hauſiſti amicæ vocis optatum melos?
Quin ergo iactam, Diua, ſpem gremio foues?
Naſcetur æqua ſemini tanto ſeges.

Hîc ex raptu ad ſe redit ECCLESIA.

 ECCL. Quàm

ECCL. Quàm læta ſenſus ſcena ſopiuit graues?
O fauſtitatis aureæ ſpectaculum!
O certa, quamuis ſera, terrarum ſalus!
Ibo, vt meâ ſpe compleam & mundi plagas.

ACTVS III. SCENA V.

DVX NAIARÆ. TRIBVNVS.

D. NAI. HVnc, qui rebelles murmure incerto canit
Adeſſe Mauros rumor, aut falſum reor,
Aut non timendum. Thraca nos bello vocat.
Quàm multus ære miles Hiſpano meret?
Etiámne iuſtum culmen exæquat phalanx?
TRIB. Exæquat, & iam ſigna non plures amant,
Contenta numero militum. D. NAI. Non eſt ſatis
Æquaſſe numerum. miles inſuperabiles
Præmonſtret animos, & laceſſentem indolem;
Tum corpus armis habile, tum ferro latus,
Tum valida membra, tum lacertorum toros.
Hic peruicaces franget aſpectus minas,
Quas in propinquos Pannonas portat ferox
Thracum Tyrannus. TRIB. Docta bellandi cohors;
Aſſueta duris, nec triumphorum ſemel
Experta palmam, digna te, Princeps, adeſt.
D. NAI. Placet. Sed, ô quàm doleo Loiolam hîc meum
Deſiderari, ſæpè ſpectatum mihi,
Belloque natum pectus. O factum malè,

Quòd

Quòd irrepertus errat, atque oculos fugit.

TRIB. Sat notus ardor, nota dexteritas Ducis
Ad Pompelonem. teſtor oculorum fidem,
Non alius ipſum ſpiritus Martem decet.

D. NAI. Sic fama narrat, Vrbis egregiæ caput
Stetiſſe, dum Loiola pugnando ſtetit:
Illo cadente, pariter & palmam obrutam.

TRIB. Hunc crede murum, crede victori moram
Fuiſſe Gallo; ſolus inimicam diu
Suſtinuit aciem. Iam repugnantum vigor
Perculſus induebat impoſitum iugum
Victoris hoſtis: cumque deditio graues
Tuliſſe leges viſa Loiolæ foret;
Iniurioſum fœdus, & turpem notam,
Quam Dux ferebat ore, reſcindit manu:
Animique certus, agmen in medium ruit,
Martem reportat, vnde reuocarat timor.

D. NAI. Generoſa virtus neſcit imperio premi,
Niſi ſit honeſtum. Qualis ad pugnam ſtetit?

TRIB. Qualis ſtetiſſet Hercules clauâ ferox.
Vnius arbitrabar in dextrâ Ducis
Pugnaſſe dextras omnium: tantos dabat
Vbique aceruos cædis. In muros pedem
Iam tulerat altos gradibus obnixus ſuper
Nexilibus hoſtis: tum cateruarum metu
Repentè ſuccedentium, miles fugam
Capeſſit expes; ſolus hoſtilem globum
Magis irruentem, ſemper vndantem magis,
Loiola pinnas inter & muri aggeres
Premitque reprimitque: tum noſtros pudor
Et propria virtus reuocat ad pugnam: cadit

Reſupinus hoſtis; Mars ad integrum redit,
Cùm fulminante lapſa tormento pila
IGNATIVM ſortita proſternit ſolo.
Hic nempe caſus arcis afflixit ſtatum.
D.NAI. Iam tum futuri ſpecimen Herois dedit,
Cùm me Magiſtro prima militiæ puer
Elementa didicit: illa nunc virtus cadat?
Vigor ille militaris? ô multis quidem
Iactura lacrymabilis; ſed plus mihi.
Amice, quæ te fœda tempeſtas procul
Ab immerenti fratris ac patriæ ſinu
Abripuit? aut quâ parte terrarum lates?
Loiola viuis? an? quod auertat Deus.

ACTVS III. SCENA VI.

DVX NAIARÆ. MILITES. MENDICVS IGNATII *veſtibus indutus.*

MIL. DEprehenſa fraus eſt: morte plectetur ſcelus.
D.NAI. Quis hic tumultus? ſiſte Centurio gradum.
MIL. Ipſum volebam; tempori, Princeps, venis.
Viden hunc decorâ fronte, veſtitu graui?
Pannoſus, & rogator alienæ ſtipis,
Humi iacebat nuper ad Templi fores.
Hæc explicatu diues aurato chlamys,
Hæc ampla velamenta, quæ probum approbant,
Malum fatentur. iſta, ſi neſcis, modò
IGNATIVS geſtabat; hanc faciem tulit,
Cùm profugus exularet è patriâ domo.

Hîc crimen hæret: teſtis oculatus monet.
D. NAI. O ſceleris auctor, ede nunc ſceleris
modum.
Iſtâne tantum veſte ſpoliaſti Ducem,
An, quod veremur, ſpiritu & vitâ inſuper?
MEND. Vtrumque facinus horreo; non me decet
Dici ſceleſtum, quando nec noui ſcelus.
Fortuna miſerum facere, non vanum poteſt.
TRIB. Audi nocentem. MIL. Nempe quem
dici pudet,
Non eſſe: præfert crimen, at culpâ vacat.
D. NAI. Etiámne perſonatus illudit latro?
Vel ſponte confitere, vel victus malo.
MEND. Teſtor Tonantis dexteræ fulmen potens,
Hæc ipſa veſtimenta detraxit ſibi
Ignotus hoſpes nuper ad dubium diem:
Mox fortuitum tegmen è textili rudi,
Tunicæque diſcoloris ornatum induit;
Tortoque preſſum fune præcinxit latus.
Tum complicata ſpolia, reiectas opes,
Nil tale cogitantis ad timidos pedes
Abiecit vltrò. Veteris exuuias cape
Erroris, inquit: ſyrmate incedam nouo.
Tu fruere donis: gratus es, ſi rem taces.
Silentij mercede compenſor ſatis.
Hæc ille mœſtus dixit, & dicto ocyùs
Erupit ardens. Vt repentinum iubar,
Quod nube ſciſsâ diſſilit, puncto perit,
Quo fulgurarat; ſic procellarum ferax,
Mihi terga iuuenis, antequam vultum obtulit,
Ignotus, indeprenſus, & nuſquam priùs
Nuſquam deinde viſus. D. NAI. Inſignes notas

Eſſare frontis: nam quis ex vultu patet?

MEND. Potens auorum, ſtirpe generoſâ editus.
Honeſta facies: acer oculorum vigor,
Frons explicata latiùs: nigro color
Subalbido confuſus: aquilinam refert
Sagacitatem naſus, in curuum cadens.

D. NAI. Sat eſt, tenetur, ſigna Loiolam probant.
Properate famuli breuia per compendia,
Sepite veſtigantium vallo vias.
Inhibete celerem capitis optati fugam:
Reuocetur ex errore, ſiſtatur mihi.

MIL. Iam miles anteuertit imperium Ducis.
Sunt qui propinquas vndiquè explorent plagas.

D. NAI. Vtinam ſecundo præda venatu cadat!
Sed vereor aliquod citius auxilio malum.

MEND. Meritò vereris: turbines vultu gerit.
Sic olli inexploratus, atque impos ſui
In fronte dubitat animus, aut ſpes, aut metus,
Vterque nimius, mentis ad clauum ſedet.
Forſan ſalutis oſor & vitæ fugit.

ACTVS III. SCENA VII.

DVX NAIARÆ. IGNATIVS. FALSVS MILES.

F. MIL. O Mitte queſtus, Ductor; en viuit redux
Loiola: magnum cernis exemplum Ducis,
An potiùs vmbram? D. NAI. Potiùs. ex vmbrâ tamen
Agnoſco ſolis ſpecimen. O carum caput!

Huc

Huc illa virtus, ille decreuit vigor?
IGNATIVS hic eſt? fallor, an ſenſus Amor
Deludit explorator? O certè meus
Loiola ſalue. Nam quis à portu procul
Temet paterno rapuit in Syrtes furor?
Squalore delectaris, & turpi ſitu?
Quantas Achilles quantus in ſordes abit.
Pannoſa virtus lateat? erratum ſatis.
Poſthac colatur ſanguinis auiti decus.
IGN. Per me colatur. Stirpis illuſtris nitor
Eſt vna virtus. prima nobilitas domus
Pietate conſtat: & cothurnatum genus
Qui calcat, idem illuſtrat. hoc ipſum aggredi
Et deſtinaram nuper, & poſthac ſequar.
Hunc innocentem propria libertas decet.
Abſolue miles: ſceleris obiectu vacat:
Meumque præfert munus, haud crimen ſuum.
D. NAI. Mittatur inſons: ſplendidos cultus tamen,
Non hos in vſus antè quæſitum decus,
Donator induatur. IGN. Indignum iubes.
Corrumpit ille gratiam, qui quod dedit,
Poſtquam dedit, repoſcat, aut reddi ſinat.
D. NAI. At tu viciſſim ſorte mutatâ miſer,
Abiectus, obſoletus, erronum modo?
Non patiar iſtam generis antiqui notam.
IGN. Ego me beatum credidi numquam magis,
Quàm cùm tibi beatus appellor minùs.
Manrice, curam, quæſo, quam pro me geris,
Hanc pone pro me. D. NAI. Pone tu cauſſam prius
Loiola; tu leuare me curâ potes.
Age bellicoſi pectoris ſpecimen vetus

Reſume tandem: ſequere naturam ducem:
Agnoſce quid te deceat; an fruſtrà, precor,
Virtutis altum ſemen & pulchram indolem
Aſperſit in te mentis humanæ Sator;
Vt triſtè ſordidatus, illuuie obſitus,
In te ſepultus; inque fortunæ rogo
Præclara Superûm dona corrumpas ſitu?
F.MIL. Meminiſſe debes ore mortalis Dei
Pronuntiatum; quiſquis acceptum ſemel
Cæli talentum ſegnis in terram infodit,
Nec excolendo potiùs ad ſolem vocat,
Vt duplicatum referat Auctori lucrum,
Illum flagellis vapulaturum probè.
Et quàm ſeuerus aſſis exactor? ſcies.
A quo nec ipſam facere verſuram licet.
D.NAI. Ergo age: reſume ſpiritus, qui nūc iacent.
Incumbe Thracum certus ad victorias.
Merere mecum facilis IGNATI potes;
Et addo, debes: cuius auſpicijs puer
Tractare primùm bella cœpiſti manu.
IGN. Viuam tuorum, crede, meritorum memor:
Nec perdidiſti gratiam. Sed me vocant
Auſpicia ſanctiora, quæ bellum mouent
In Inferorum caſtra: vincendus mihi eſt
Tartareus hoſtis. F.MIL. Ille vincendus tibi?
O ſpes inanes! bella cum laruis parat.
At quo paratu? finge te Martis genus:
Luctere quamuis multa, palpabis nihil.
D.NAI. Sat eſt: habetur: tempus incaſſùm teris
Loiola, non has præda perrumpes plagas.
Ego dum receptis dona pro votis feram,
Meliora tu conſilia cunctando incoque.

Accede miles,cinge fugitiuum latus.

F. MIL. Amoris en ſatelles,& lateris comes
Antiquus adſum: pecudis en cuſtos,lupus.

ACTVS III. SCENA VIII.

IGNATIVS. FALSVS MILES.

IGN. QVæ monſtra ſurgunt? animus incerto labat?
Deliberatam dubius in cauſſam feror?
Præuaricari vota meditantur Deo?
Iniqua ſacramenta non dixi tamen.
O qui profundum pectus afflaſti vapor,
Abi nefande: repete flammarum caput
Vnde emicaras. Stygia te poſcit palus.

FAL. MIL. Iactatur: illum propria tempeſtas agit:
Externa miſceatur, vt creſcat tumor.
Nondum ſubactus animus ad mentem redit?
Quid fluctuaris? Illa bellatrix iacet
Etiámne virtus? flos iuuentutis perit?
Quid ipſe temet conſulis? nulli minus
Credendus eſſes. cauſſa ſuſpectum facit:
Propriæque cauſſæ iudicem nemo probat.
Mihi conſulenti commodes paulum precor
Securus aures. crede, cui multum fides
Diuque prætentata credendum docet.
Abiice ſereni pectoris cultum rudem.
Quod hoc (malum!) quod veſtis inhoneſtum genus?
Indue decori militis tegmen decens.
Inuade Martem, ſequere fortunæ impetum,

Qui te beatitatis ad culmen rapit.
IGN. Et hoc cauendam credo fortunam magis,
Quòd in aſtra tollit: grauiùs ad terram premit
Quemcumque vexit altiùs. FAL. MIL. Tritum canis
Sermone delirantis à recto ſcholæ.
Vitæ Magiſter vſus humanæ, ſatis
Quid ſit ſequendum, quidve fugiendum, monet.
Hic audiatur. magna pars hominum probat,
Quæ ſolus improbanda dum cenſes, ſapis
Tibi ſolus vni. IGN. Dummodò & ſapiam Deo.
Deſipere vulgo, ſapere prudentes vocant.
F. MIL. Pars maior eadem melior. IGN. Hoc ſentit, reor,
Agmine bonorum, nempe, calcatum chaos.
FAL. MIL. Quid ſpes coëmptas ambitu tanto Ducum
Semel recîdis? IGN. Eſſe quòd ſeruum pudet,
Quicumque ſperat, vile mancipium iacet
Dominæ ſuperbos ad voluptatis pedes.
Quid ſeruitutem libero laudas? iugum
Collo leuandum: præſtat incidi ſemel
Ictu bipennis, onere quàm ſemper premi.
F.M. Quàm magna ſunt quæ ſpernis? IGN. At maius bonum
Cæli voluptas. redimo ſpe cælum breui.
Res comparari magna quàm paruo poteſt?
F.M. Sat veniet opportuna poſt bellum quies,
Cùm feſſa ſenio membra deſtituet vigor;
Nunc alia pectus viuidum virtus decet,
Cùm fortiorem poſcit ætatem labor.
Nunc demereri viribus cælum iuuat.

Quàm ſæpè militaribus ſtipendiis
Ducuntur ipſa Cælitum ſtipendia?
Beata Superûm tecta quàm latè patent!
Suſpice receſſus orbium quantos habet
Tonantis aula: cur ad immenſos globos
Tu cor in arctum contrahis? Cæli atria
Immenſa reliquis, arcta militibus putas?
Ignauus animi ſenſus. & nobis vacant,
Honeſta ſi conditio pugnantes agit.
Speramus,& nos (ſi modò has Numen ratas
Spes eſſe iubeat)lucis ætheriæ diem.
Fatebor, ipſam quando tu chordam moues,
Me quoque ſatietas multa, ſi neſcis, habet
Mortalitatis; nempe ſub cælo nouum,
Aut expetendum ſurgit, aut certum nihil.
Et iam ſubactus arma ponebam manu,
Sumenda numquam. vota conantem ſequi
Conſtantis animi, ſancta reſpexit fides;
Mea ſigna, dixit, ſæue deſertor fugis,
Mea bella? non his plura: ſed nutu graui,
Quod antè deteſtabar, amplecti iubet.
Amplector, adſum; ſi profugiſſem prius,
Ad hoc redirem. bella bellamus Deo.
Ergóne ſæui fœda Meheineti lues,
Et rapidus error, & ſuperſtitio impotens
Impunè ſerpat? Iuſtus inſurgit furor,
Quoties iniqui transfugæ memini dolos.
Et hoc in iſtâ peſte mirandum magis:
Non Africæ contenta natali ſolo,
Erumpit audax: Luna complebit, reor,
Fatalis Orbem, quando tam ſacrum malum
Hæc ipſa Fidei Regna, iamdudum plagas

Intaminatas, clàm per ambages, petit.
Eſt opprimenda peſtis in regno ſuo,
Aliena ne corrumpat: ad fontis caput
Retorqueatur vena, ne riui fluant;
Illuc feramur: æquiùs numquam ruit
In arma miles, ſigna de cælo docent
Adeſſe bello Numen: hoc toto canunt
Oracla Regno certa, quæ palmam ferant.

Hoc loco ſonus auditur, ac Spectrum in aëre magnâ ſe in luce videndum præbet.

ACTVS III. SCENA IX.

IGNATIVS. FALSVS MILES. SPECTRVM.

F. MIL. Quid mutus increbreſcit è cælo ſonus?
Auræne ſibilantis in vento leui
Deus ipſe purpuraſcit? ô certè Deus!
O ſancta pietas! Numen, IGNATI, viden?
Verere Numen: O triumphalem diem!
SPECT. Perge, quò Cælum vocat: & paratum
Numinis ductu meditare bellum
Miles IGNATI meus, ô triumphi
Auctor honeſti.

Hoc loco Spectrum videri deſinit.

FAL. MIL. Mane, quid aſtra repetis? ô fructus breues
Diuinitatis! quando te longùm fruar?
Etiámne curâ pectus ancipiti labat?
Etiámne fluctuatur? IGN. Incerto metus

Neſcio quis animo ſerpit horroris comes.
Non hos, vt aiunt, Numen aſpectum ſolet
Ciere fluctus; magna ſuſpexi tamen,
Quæcumque vidi: dubius in partes feror.
Tu mentis vmbras pelle, qui vultu facem
Numquam occidentem, ſemper orientem explicas.

F. MIL. Necdum vocanti credis, aut cedis Deo?
Abſiſte quæſo: fulmen in dextrâ gerit:
Et vindicem verere, ſi ſpernis ducem.

ACTVS III. SCENA X.

DVX NAIARÆ. IGNATIVS. FALSVS MILES.

DVX NAI. Bene eſt, pudicæ Virgini factum ſatis.
Loiola mecum perge; decretum puta.

IGN Audi loquentem quæſo pro cauſsâ priùs.

D. NAI. Diffugia quæris: trahite nolentem ſequi.

F. MIL. O me beatum! ſpirat ad puppim Notus.
Pannoſus hic, vt cœpit, ad Syrtem volat.

CHORVS.

Quid laceſſis arma miles,
Arma vulnerum miniſtra?
Martis ora, mortis ara,
Cæde ſemper ebria.
Bella belluas decebunt,
Quas ferinus vrget ardor.
Te iuuabit innocentis
Dulce pacis otium.

Dura

Dura quiſquis æra tractat,
In ſceleſta tranſit æra:
Cor rigeſcit, vt grauatur
Enſe dextra ferreo.
Inter arma regnat horror.
Crimen inter arma regnat.
Linque bella, pone ferrum,
Sperne Martis omina.
Silua nutrit inter vmbras
Incruenta regna veris:
Et roſeta fauſtitatis
Inter antra pullulant.
Vt per antra mel laborat
Mellis architectus ales:
Sic per antra fabricatur
Dulce nectar otij.
Ridet inter antra Cælum
Liberale gratiarum:
Aureamque frontis auram
Sol amicus explicat.
Sat per arma tempus actum:
Nunc in antra deuocaris.
Ille campus, inferorum
Bella franget hoſtium.

ACTVS IV. SCENA I.

PRÆFECTVS MILITVM.

BEnè eſt; retexi crimen: inſidiæ patent.
Mauri rebelles, Orbis Hiſpani lues,
Hæc ipſa ſepimenta ſiluarum abdita,
Hoc inſidebunt, milite armato, nemus.

Virtutis inopes, fraude confidunt loci.
Opprimere noſtrum militem è tuto parant,
Dum per receſſus faciet anguſtos iter.
Sed opprimentur. ibo docturus Ducem.
Qui gaudet vmbrâ, lûce ſuperatur dolus.

ACTVS IV. SCENA II.

FALSVS MILES.

Loiola vicit. Naiaræ Princeps meã
Stimulatus arte, quid reliquit integrum?
Auctoritate, precibus, imperio, minis,
Tentauit omnia, egit intereà nihil.
Laniſta perſtat vſque propoſiti tenax.
Niſi fallit animus, robur è Cælo trahit.

Hic aperitur antrum, in quo IGNATIVS *latet, atque orat.*

Viden' vt periclis ducit ex ipſis opem
Precator importunus? ô mutum caput,
Non ſic abibis. habeo te paucis adhuc.
Ne metue: properat fida Maurorum phalanx,
Vt Naiarenſem fraude ductorem opprimat,
Præſidia ne Pannonibus in Thracas ferat.
Mox aderit; armis nempe cognatis fauet.
Loiola, te nunc illa tempeſtas petit:
Tibi minatur. quis ſcit an munus duplex
Vno impetretur opere? te forſan timor
Ad Naiarenſem, forſan auertat dolor
Ad arma iuſtus, vt feras victis opem.
Quòd ſi cadat conatus, haud animus cadet.
Non ſemper illum chorda quem vellet manus
Edit

Edit ſonorem: ſæpè qui poſcit grauem,
Elicit acutum: fidibus incerta eſt fides.
Et arcus errat ſæpè, qui ſemper iacit.
Ars eſt nocendi varia, ſunt fraudum gradus;
Ne cane triumphum. Iam giganteâ manu
Propinqua pluuij regna turbaui Iouis:
Iam cedit aër; & laceſſitus, graues
Format tumultus: turbines quantos dabit?
Natura quod non potuit, euincet metus.
At ecce volitat Maurus: ad votum venit.
Latebo, dum me tempus in apertum euocet.

ACTVS IV. SCENA III.

DVX MAVRORVM *cum Manipulo militum.*

HIc eſt parandis aptus inſidiis locus.
Commilitones agite. turbandus domi
Iberus hoſtis, noſtra ne turbet foris.
Accipite legem fraudis; occulto diu
Nemore latendum, donec egreſſum canat
Emiſſus ore ſibilus: cæco interim
Clauſi receſſu ſtate, non vno tamen.
Vos ille dorſo tumulus elato tegat.
At vos, cauato truncus includat libro
Arboris opacæ: tuta per vepres erunt
Latibula vobis. reliqua pars antrum ſubi.
Vacate magnis rebus.

ACTVS

ACTVS IV. SCENA IV.

DVX MAVRORVM. IGNATIVS. MILITES.

MIL. Inſidiæ. MIL. Doli.
MIL. Circumuenimur. D. MAVR. Ede, quid monſtri latet?
MIL. Hoſtilis explorator. D. MAVR. Huc prodi ſcelus.
MIL. Ego te nefande. D. MAVR. Fallor, an vultu patet
Is, quem viator nuper offendi virum
Stolidè ſagacem? tùnc latrator malus,
Qui Nazarenæ Matris intactas niues,
Et poſt recentem Virginis partum, modò
Mecum crepabas, dùm viæ graderer comes?
IGN. Quem pingis, adſum; Virginis partus pios
Semper tueri promptior. D. MAVR. Stultum caput.
Vt Virgo pàriat? IGN. Aio, ſi pariat Deum.
D. MAVR. Si pariat, eſt iam Mater. IGN. Et Virgo ſimul.
MIL. Quis capiat hæc deliria? IGN. Ratio, & Fides.
D. MAVR. Pergis tueri transfuga? MIL. Armatos vide.
IGN. Dudum tueri miles agitabam manu;
Sed neſciebam: nunc ſacramentum recens
Dictum pudicæ Virgini poſcit genus
Aliud tuendi. non amat ferrum pudor,

Amat

Amat cruorem: ſanguine tuebor niues.
En pectus. Vtinam fuſus è venis cruor,
Et cum cruore vita, defendat tuos
Pro voce partus Virgo. D. MAV. Diſperεam, niſi
Se fictus explorator affingit pium.
Etiámne ludis? compos i voti tamen,
Tuere partus morte. IGN. Quæ vitam ferat.

Hoc loco dum in IGNATIVM *incurrit ſtricto ferro Maurus, interueniunt Hiſpani milites, atque* IGNATIVS *è manibus hoſtium in antrum euadit.*

ACTVS IV. SCENA V.

DVX MAVRORVM, TRIBVNVS HISPANORVM, TRIBVNVS MAVR. DVX NAIARÆ, *ſinguli cum* MANIPVLO MILITVM.

MIL. EN hoſtis. agedum pulueris nubem vides?
En vrget agmen. D. MAVR. Stare de tuto iuuat:
Lateamus. TRIB. HISP. Iſthæc vmbra ſiluarum catos
Animos repoſcit: eſte nunc tandem viri.
Tot ſæpè fraudes nemora, quot frondes alunt.

Hoc loco ſibilus editur, & Mauri ex inſidiis in apertum prodeunt.

D. MAV. Inuadite aciem milites. TR. HIS. Repellite
Virtute fraudem.

Hic

Hic breui certamine inito, Hiſpani ſimulant fugam, vt Mauros in alias inſidias trahant.

D. MAVR. Sequere fugitiuos: erit
Hæc noſtra demum palma. D. NAI. Sed nondum fuit.
Sic fidis aſtu? miles addenſa gradum.

Hoc loco numeroſior Hiſpanorum militum Manipulus improuiſus erumpit, & pugnam inſtaurat: ſed Dux Maurorum videns ſuos iniquis viribus decertare, ad ſingulare certamen hoſtem inuitat.

D. MAVR. Subſiſte miles. vis duello hanc aleam
Subire mecum? TR. HIS. Indignus es tanto pari.
En qui ſubibit. TR. MAV. Potius hanc mecũ ſubi.
D. NAI. Ego non recuſo. TR. HISP. Neque ego.
D. MAVR. Num binos placet
Vtrimq; finẽ ponere huic pugnæ? OM. MAV. Placet.
OMN. HISP. Placet. D. NAI. Ergo, miles, abſtine intereà manum.
Sit lex duelli fixa, ne quartam ſupra
Petitionem quiſque certamen trahat.
D. MAVR. Placet. TR. MAV. Age, nudum pectus exarmet chalybs.

Hic initur ſingulare inter binos certamen.

D. MAV. Ceſſate, pugnam trahere non vltrà licet.
D. NAI. Noſtra eſt arena.

Hic alterum par decertat; deinde bina ſimul paria: poſtremò Dux Maurorum cadit.

DVX NAI. Meus es.

Hic

Hic exercitus Maurorum adeſt vt opem ferat.

TRIB. HISP. Ita ſeruas fidem?

Hic initâ breui pugnâ, omnes vno quaſi globo confertimq́; pugnando intra proſcenium redeunt.

ACTVS IV. SCENA VI.

IGNATIVS. FALSVS MILES.

IGN. O Nos inertes! quis ſcit an bello cadat
Dux Naiarenſis? ibo quò pietas vocat.
FAL. MIL. Alea beatè cecidit. IGN. O fruſtrà pius!
Quò rurſus anime pergis? in pectus redit
Neſcio quis ardor ſimilis antiquo nouus.
Quid moliebar ſtultus? F. MIL. O factum malè!
En retrocedit. IGN. Chriſte, trepidantum vigor,
Vt peierati iuris abſcedam reus?
Deſertor, & deſertus, vtrouis miſer?
Te deſtituto? potiùs, ah potiùs ruat
Infractus orbis, meque conſtantem opprimat.
F. MIL. Audi Gigantem. dabitur hoc quidquid rogas,
Ne metue: neſcis credo quid cælum coquat.
Ibo vt rigentes ventilem verbis faces.
O dura ſemper fata! relligio perit,
Fas omne proculcatur, it peſſum fides.
IGN. Meliora Superi. fare quis rerum ſtatus?
F. MIL. Audiſti amaras nuper armorum minas?
IGN. Quin ipſe vidi. F. MIL. Sæua Maurorum cohors

Paſſim

Paſſim rebellat. Iamque Naiareum Ducem
Pugnâ morantur; ne quod occepit, ferat
In Thracas agmen noxium. hoc audent palàm,
Hoc moliuntur; nempe Mehemeto fauent
Sæui laniſtæ. forſitan victus cadit
Naiareus; hoc tu ſegnis in luctu ſedes?
IGN. Auerte facinus, ô Tyrannorum metus,
Cæli Imperator. F. MIL. Tempus haud votis
eget,
Siluiſque. prohibe crimen: abeamus procul:
Abeamus inquam: cauſſa pietatis vocat.
IGN. Mala pietatis cauſſa, quæ perdit meam.
Nec ſim pius, ſi perfidum pietas facit.
Quid vna poſſit dextra tot contra manus?
FAL. MIL. Quod vix patrari Ducibus à multis
queat.
Conſilia poſcit prælium plus quàm manus.
Abeamus agedum. IGN. Quando conſiliis opus;
Tu meliùs ito. F. MIL. Tene deſtituam, malis
Malè comprehenſum? rebus incertis fides
Cernitur amici: poſcit hoc bellum duos.
Abeamus vnà. IGN. Non ſequar, quamuis
trahas.
F. MIL. Cælo repugnas dure, nec fulmen times?

Hîc auditur è cælo vox, Percute, percute.

F. MIL. En pœna pendet: ſubtrahe ſceleſtum
caput.
IGN. Quid anime titubas? quiſquis intentas
metum,
Percute, merèmur. Sed ſit omnipotens amor
Qui pectus hoc cruentet: en pectus patet.

Hîc

Hic nubes; ex nube ignes, & fulmina.

F. MIL. Fugiamus; audis? vindicem ſentis manum?

Fuge, fuge, ſequere promptus: ô pœna, ô ſcelus!

Hoc loco falſus miles terrorem ſimulans fugit, vt IGNATIVM *ad idem inducat: qui perturbari quidem ac ſequi cœpit, ſed ſtatim ad ſe redit ac reſipiſcit.*

IGN. Reſiſte: nondum quæ verebaris, vides:
Nec fulminantes pectus in flammas abit.
Hæc quæ tumultum ſæua tempeſtas mouet,
Vt video, grauidâ nube terrorem vehit
Rudem malorum. viuimus functi malis:
Et quod beatum, viuimus Chriſto. fuit
Timor ille, non eſt amplius. quidquid tamen
Id fuerit, vnde, neſcio; at magnum ſcio.
En fluctuatur animus, & rurſum probat
Quod improbabat; ſperat, addubitat, timet,
Aſſurgit, affligitur. O rerum vigor,
Tu me precantem lucis afflatu praei:
Tu mentis æſtum pelle, tu pectus doce.

Hic dum orat IGNATIVS, *Centaurorum chorus interuenit, qui ſaltando perturbare conantur orantem, atque diu extra ſe raptum.*

IGN. Agnoſco laruas, cordis ô IESV mei.

Ad nomen IESV *Centauri ſtatim videri deſinunt.*

ACTVS IV. SCENA VII.

EVROPA. RATIO IMPERII. HÆRESIS.

EVROPA. Sit prima Regis cura Relligio. R. IMP. Decet:
Nam benè tuetur publicum Regni bonum.
EVR. An puniendos rere qui turbant. HAERESIS. Reor.
Sed habeat æquum pœna ſupplicij modum.
Quicumque medicas admouent ægro manus,
Sæpè ad ſalutem plus quieſcendo mouent,
Quàm vel mouendo. neſcit imperium pati
Relligio: libertatis in puppi ſedet:
Nec imperandam laudo; ſuadendam approbo.
Sua quemque conſcientia ad cultum vocat.
EVR. Si pura, ſi tranquilla conſcientia eſt;
Niſi mancipata ſeruituti criminum.
Experta dudum ſentio quantam mei
Partem venenat varia ſacrorum fides.
Mutata pietas, vrbium immutat ſtatum.
RAT. IMP. Idcircò Princeps imperet, quâ ſit Deus
Colendus arte. cultus in Regem cadat.
Relligio telum, quo magis nullum valet
Ad regimen Orbis: ergo dum Regnis benè eſt,
Vtatur Imperator: at ſi quid nocet;
Diſſimulet, aut omittat, vt tempus monet.

ACTVS IV. SCENA VIII.

EVROPA. ASIA. AFRICA. AMERICA. RATIO IMPERII. HÆRESIS. ATHEISMVS. IDOLOLATRIA.

IDOL. Ritu parentum viuite; quid vltrà placet
Tentare fatum? colite, quos olim, Deos.
AM. Erras; nec æqui prærogatiuum vides.
Tu ſi beatus eſſe, ſi felix amas;
Cenſu paterno viue, ſed ſenſu tuo.
EVR. Adeſtis, ô quàm temporis voto, & meo.
Agite ſorores: vera ſacrorum Parens
Adeunda nobis: ire ſeruitum decet
Magnæ Parenti. AS. Perge: præeuntem ſequar.
Vis maior vrget, nec repugnandum reor
Cælo imperanti. AFR. Sentio vocantem Deum.
Nec renuo. tædet antecedentis moræ;
Et ſeruitutis modò recuſatæ pudet.
AMER. Matrona facili ſemper amplexu patet,
Iniuriarum oblita, meritorum memor.
OM. Adeamus. R. IMP. Agedum: ſiſte properantem gradum,
O diſſidentum Domina terrarum cohors.
Quid temet vrges? EVR. Nempe quos Numen vocat,
Non decet inertes eſſe. AMER. Chriſtiadum arbitram
Antiſtitam ſequamur, operantem Sacris.
ATH. O credula nimis turba; feſtinat iugum

Accipere. nullus fronte tam læta exuit,
Quàm vos ſubitis. AS. Mite toleranti ferunt
Iugum videri. HAER. Mite, quod collum grauat?
IDOL. Leue eſt grauari colla, ſed mentes premit.
AFR. Quin potiùs onere defatigatas leuat.
R. IMP. Seruire terrarum Imperatrices, pudet.
EVR. Honeſta quoties ſeruitus Regnum parit?
AS. Et ſunt quibus ſeruire ſit Regni genus.
IDOL. Speret alienum, credo, qui perdit ſuum.
AFR. Non perdit vmquam Regna, qui ſubdit Deo.
ATH. Ne procul aberres: ſæpè quod Cælo dicas,
Furantur homines: ſcelera perſonas amant.
R. IMP. Regnum ſimul verere, dum Numen colis.
HAER. Ne ſubeat aliquis latro Regnorum, caue.
IDOL. Quid vos (malum!) quid vrget in priſcos auos
Peccare tantùm? iura ſacrorum nouis
Antiqua poſthabenda? quod longum ſtetit,
Id eſt probatum. Regna retinentur benè
Quâ comparantur arte; ſi mutes, ruunt.
Portio Nepotum prima, Relligio Patrum.
Hereditatis iure mandari ſolet
Quid ſit colendum: perque naſcentum manus
Tranſmittit ætas numinum ſenſus pios.
EVR. Nam facilè ſerpit error. IDOL. Errorem vocas
Tot ſenſa veterum trita ſapientum ſcholis?
EVR. Nempe ſapientum, fateor, at cælo tenus:
Quod inde ſupereſt, mira delirant ſenes,
Qui tot Deorum capita, quot ſcelerum, canunt.

IDOL. Cæline ſolitarium Regem probas?
EVR. Solum; ſed inſtar omnium: qui ſit licet
In ſe reductus; intimè præſens tamen,
A ſe nec abiens, rebus externis ineſt.
Quid ille Diuûm populus? IDOL. Vt leuiùs ferant
Graue pondus orbis. EVR. Potiùs vt pondus grauent.
Vnum ferendo Numen eſt mundo ſatis.
IDOL. At plura meliùs. EVR. Aula vix vnũ capit.
ATH. Nec duo, nec vnum: neutra pars punctum ferit.
Erratis ambo, numen eſt nomen merum.
AS. Extrema calcas, media ne tangis quidem.
AFR. At quis gubernat Orbis vtriuſq; ambitum?
ATH. Qui procreauit, caſus: aut mundum regit
Fortuna, vel ſe mundus: idcircò teres,
Et conglobatus pendet ad nutus ſuos.
AM. Niſi certus adſit Rector, incertus fluat.
ATH. Fluit, fluetque: ſi gubernatrix manus
Adeſſet Orbi, rebus humanis ſtatus
Ineſſet alius: nemo virtutem premi,
Regnare ſcelera; nullus attolli malos
Felicitate doleat, affligi bonos.
Vbi certa libramenta non pendent, abeſt
Moderator opifex. AS. Et tamen Cælum tonat;
Et fulminando vindices iactat faces
In capita deteſtanda. Rectorem negas?
HAERES. Adeſt, gubernat, ſeque contentus regit
Vtrumque mundum. iure conſortis vacat.
Hic error hominum: nempe mortalem autumant
Vicarium Tonantis; vt quando latet

Deus

Deus oculos mortalium, ſit qui gerat
Vicem latentis, inque conſpectum cadat:
Plus homine quiddam, ſed Deo quiddam minus,
Vtrique medium ſomniant, neutri parem,
Cui Roma ſedes: qui vel in cælum inſerat,
Si libeat, ingens, nixus è terris, caput:
Claudatque recludatque ſidereas fores.
Iſtos gigantes terra ſemideos tulit
Mentita quondam. Fabulæ meræ; & tamen
Nominibus aliis fabulæ antiquæ manent.
AFR. At corpus orbum capite portentum foret.
Nec inferi reguntur expertes Ducis.
R. IMP. Nil agitis. vmbras inter argutamini.
Malè ſingulis ſentitur, at cunctis benè.
Aut numen, aut non numen, aut vnũ, aut triplex,
Aut multiplex; perinde, cùm tempus monet.
Relligio Regnis ſeruit: Imperij ſtatus
Vel Numen eſt, vel numen in dextrâ gerit.
IDOL. Sunt Dij tamen. R. IMP. Si ratio re-
gnandi velit.
ATH. Quis velle poſſit, eſſe quod nuſquam ſciat?
R. IMP. Qui facere nouit. HAERES. Ecquis
hic Diuûm faber?
R. IMP. Regnum, libido, commodum, neceſſitas.
ATH. At timor in Orbem primus inuexit Deos.
R. IMP. Retinet eoſdem Principum ſecuritas.
AFR. Non iſta ſuadet inſitum menti iubar.
Natura cultum Numinis cuique imperat.
R. IMP. Mihi crede, fingit quiſque naturam ſibi.
AM. Diſtrahitur animus. AS. Certa diſcedunt loco
Arbitria. AFR. Dubio pectus euentu labat.
EVR. At ô ſorores agite. meditari decet

Ventura meliùs : ne quod eſt actum citò,
Si non ſecundet vota, pœniteat diu.
Conſilia feſtinata ſucceſſu carent.
R. IMP. Nunc ſapitis; altũ redeat in pectus furor
Præceps agendi : conſulant Regni bonum
Decreta rurſus, ſeque maturent morâ.
IDOL. Adſumus habendis apta conſultis cohors.
HAER. Adhibete rebus arbitras magnis. ATH. Iuuat
Seruire veſtris commodis. AS. Nota eſt fides.

ACTVS IV. SCENA IX.

FALSVS MILES, *in Eremicolæ formam verſus.*

EN qui gerebam militis vultum modò,
Mutatus adſum. ferre perſonam iuuat
Grauiore cultu. ficta maieſtas fidem
Sceleri impetrabit meliùs. O ſanctum ſenem!
Vatem futuri conſcium affingam. Sed heu!
Perdidimus artem. túne cæleſti ſatus
E ſtirpe? virtus fracta degenerem arguit.
Præterita nullos ſcelera prouentus habent.
Oblite fraudum : pugna Maurorum, potens
Ad arma prouocare vel truncas manus,
Vix aliquid eluctata, commouit parum
Animi quieti ſenſa; ſed vicit nihil.
Cecidêre Mauri : Naiaræ Princeps abit:
Extra metum Loyola : me torquet dolor.
Tentanda ſunt extrema, dum prima excidunt.
Vtamur ipſo: quidquid eſt extrà, leue eſt :
Moueatur aliquid intus. Ignati tuus

Te

Te iam laceſſit animus. en pugnæ caput.
Vitæ prioris relege tranſactos dies:
Meditare tecum, certus admiſſi, ſcelus;
At expiati incertus. in temet iuuat
Armare proprium crimen, & vitæ notas.
Tibi te relinquam meliùs. Vltorem volo
Temet tui rigoris, & ſceleris mei.
Perge anime, liceat aggredi quidquid libet.
Exprome fraudem, machinamentum admoue.
Quâ parte nudum vulneri pectus patet,
Intrude ferrum: quâ dolet, quâ non dolet,
Per fanda, per nefanda, ſeu clàm, ſeu palàm,
Molire, demolire; dum vincas, benè eſt.

ACTVS IV. SCENA X.

IGNATIVS. FALSVS EREMICOLA.

F. EREM. EN præda prodit è cauernoſo ſpecu;
Venator adſum. Subde fomentum metus
Animo flagranti. IGNAT. Stulte, ſperatum eſt nimis.
Quis me ſaluti ſiſtat? incerta eſt ſalus,
At certus error. vita me torquet nocens.
O vita peior morte! momento breui,
Momenta ſcelerum quanta traxiſti miſer?
Quis me mihi præſentat? ante oculos gero,
Quod credulus poſt terga mandaram nefas.
F. EREM. Ego bonus ille mentium interpres, tuæ
Adſum exoletæ memoriæ admonitor mali,
Vitæque nomenclator. IGN. Hos fluctus vides

Pacator animi Chriſte? F. EREM. Quod nomen crepas?
IGN. Etiam, ſceleſte, numen alienum inuocas?
Quod vendidiſti ſceleribus, non eſt tuum.
Meum eſt: redemit nempe ſe quondam mihi.
Aude anime: Patrem more ſeruorum times?
O parricida, rurſus appellas Patrem?
Criminibus aptũ nomen eſt Iudex. F. ER. Scelus
Huic te tuum reſeruat. IGN. En plector reus.
Iam mihi ſeueræ frontis occurſant minæ.
Iam fulminatæ vapulant aures ſono
Pœnam intonantis vindicis. F. EREM. Quo fulmine
Semel petitus animus, æternùm dolet.
IGN. Iam terret oculos ignis inferni vapor.
F. EREM. Et quàm perurat, teſtis oculatus ſcio.
IGN. Quid fiet? hæc per nemora traducam dies
Superis dicatos? non placet Superis labor
Capitis nocentis. Ergo quò greſſus feram,
Simulacra ne me terreant ſceleris mei?
Vbicumque lateat conſcius facti, poteſt
Fortaſſe tutus eſſe, ſecurus nequit.
Moriamur. age mors libera terras graui
Hac peſte. vixi turpiter, miſerè occidam.
F. EREM. Non malè; ſed vtinam vota fortunet furor!
IGN. Satis eſt adhuc vixiſſe; præteriti pudet,
Tædet futuri. F. EREM. Creſcit accenſus rogus,
Euentilanda eſt flammâ. Quid tantùm vocas,
Loyola, mortem? IGN. Nempe quòd vitæ piget.
F. ER. Non eſt roganda: ſemper in promptu patet,
Obuia volenti; nolle, moriendi mora eſt.

Tam

Tam tibi propinqua mors adeſt, quàm tu tibi.
Quem vita pellit, mortis inuitat ſinus.
Hanc inuenire eſt omnium: at fortis viri
Eſt occupare. propria te poſcit manus.
Eſt turpe rapto viuere; at rapto mori,
Sæpè eſt beatum. IGN. Mortis ac vitæ dator
Deus eſt; repoſcat ille, diſcedam libens.
F. EREM. Quin anteuertis? iuſſa dominorum ſequi,
Serui eſt inertis; impiger nutum præit.
Præcide nodum, quem redordiri nequis.
Hoc quo labore premeris, agitandus diu es.
Vim vi repelle. longus annorum manet
Ordo trahendus. Octies denas ages
Viuendo meſſes; at dolor creſcet gradu,
Quo vita. rupem cernis? ex illâ potes
Finem futuris facilè metiri malis:
Vnoque ſaltu tangere & terram pede,
Cælumque digito. IGN. Noſſe quis tantum dedit,
Vt polliceri craſtinum poſſis diem?

Hoc loco Cælum aperitur, ibiq; Angeli inter cantum arma fabricantes apparent.

ACTVS IV. SCENA XI.

MICHAEL. BONI GENII. IGNATIVS. FALSVS EREMICOLA.

F. EREM. INfecta fraus eſt; cedimus, quis me fugat?
IGN. At ô theatri nobilis ſpectaculum!

Oculi laborant aureæ aſpectu facis.

MICH. Armata pubes agite: quandoquidem nouo

Diuina munimenta fabricatis Duci,

Pergite quod inſtat. EVR. GEN. Iuſtior numquam labor

Vires popoſcit Cælitum. AFR. GEN. Ad fulmen leuis

Acuendus enſis. mutuatam fulminum

Æternus habeat temperaturam chalybs.

AS. G. Fulmineus enſem primus inuadat furor.

Age fulminum minantes
Imitetur enſis iras:
Quibus ardor inferorum
Scelerumque vis rigentum
Repetita ponat aſtus.

AM. GEN. Iam fulminantem gladius ardorem hauriat.

Age fulminum flagrantes
Eat enſis in fauillas:
Quibus ardeat nocentis
Rigor Orbis, & vaporet
Cinefacta mens Amori.

EVR. GEN. Ad vulnus agilem fulmen adſpiret fugam.

Age fulminum volantes
Gerat acer enſis alas.
Leue fulmen adde pennas.
Leuiore vi rotatus,
Grauiore vulnerabit.

IGN. O dulcis aura vocis! ô vitæ liquor!

Vaneſcit vmbra mentis ad Cæli diem.

AFR.G. Nunc ære formet ſquama cæleſti grauis
Hoſtilibus thoraca vulneribus moram.
At tu Tænarij terror Auerni,
Hoſtis ludibrium bella minantis,
Ingentis tegumen pectoris ingens,
Lorica, ô faciles indue textus.
Quot tu reiicies fortior enſes,
Cæli materies inuia ferro,
Semper ſanguinei vulneris expers?
Quis figat ſolido vulnera cælo?
IGN. At cui ſupellex tanta fabricatur Duci?
AM.G. Vexilla reſtant. agite, bellorum notam
Ingens IESV nomen intextum gerant.
Vacate, veſtras munus hoc poſcit manus.
O militiæ nobile ſignum;
Sed nobilius nomine tanto,
Numine quanto nobile cælum eſt;
Indue magni nomen IESV.
Quot tu duces in bella viros,
Qui Tartareo colla draconi
Toto volucres Orbe recidant?
Age, quid dubitas? tibi ſigna volant:
Tibi texuimus, Loyola, Deum.
IGN. Quid me theatri ſcena bipatentis notat?
At non meretur nomen audiri nocens
Ex ore Superûm. Pectus aſſurgit tamen
Meliore ſenſu, ſpemque feminecem excitat.
Ad arma compellabar? an Cælum iubet
Tractare bellum, quod recuſaram? vocor
In Thracas, an deludor? incertus feror.

CHORVS.

Vicimus hoſtes: dic age pubes,
Vicimus io, regnamus io.
Ceſſit inertis terror Auerni,
Succeſſit honor facis æternæ.
Vicimus io.
Stetit intrepido Loyola gradu:
Stabit eodem, ſi fera rurſus
Bella cruentus mouerit hoſtis.
Sed fera poſthac bella tacebunt:
Vicimus io.
Tibi flammantis Rector Olympi,
Qui grata iubes otia mundo,
Nos tua pubes, candida pubes,
Agimus prono poplite grates.
Vicimus io.
Age feſtiuos molire choros,
Ludicra pubes: vicimus hoſtem.
Tu fama nouæ nuntia palmæ
Finde volanti nubila greſſu.
Vicimus io.
Satis vndantes in corda metus
Vexit auari riuulus Orci.
Iam fugit atræ vena paludis:
Tutoque metum pede calcamus.
Vicimus hoſtem.
Virgo pudici conſcia partus,
Quæ Tartareas diſcutis vmbras,
Hæc palma tuo nomine ſurgit.
Hæc nata ſemel, te duce; ſemper
Te duce creſcat.

ACTVS V. SCENA I.

IGNATIVS.

VIuimus amori Cælitum, damno hoſtium.
Quantum procellæ fragilis enauit ratis?
Tantúmne latuit tamdiu ignotum ſcelus?
Amicus ille certus, & lateris comes,
Simulamen oris poſuit, & vultu ſuo
Ciuis repentè patuit infernæ Stygis.
Tam propè fuiſſe criminis tanti luem,
Nec tabuiſſe pectus afflatu graui?
Senſi vaporem peſtis; at ſæuus vapor
Vltra timorem, ſed citra damnum ſtetit.
Tuum eſt, Repertor lucis,& vitæ Sator,
Quòd viuo, quodque vigeo: vita hæc & vigor
Tua ſunt; tuorum fonte meritorum fluunt.
Compenſet vtinam vita, quod voci deeſt;
Et tibi quod ora neſciunt, ſoluat cruor.
Téne ego relinquam, totus ex imo licet
Me petat Auernus? Orbis humani globus
Si fractus illabatur, impauidum opprimet.

Hoc loco IGNATIVS *in altum rapitur.*

Sed me quis intus diuidit? quæ vis rapit
Mihi cor ab imo pectore? O Cælum, ardeo!
O fax amoris Cælitum! ô ignis meus!
Tu me beate conficis: tu me reples
Te te ipſo; & vtinam totus hoc incendio
Mecum inuolutus Orbis aliquando flagret!
Serò te amaui, ſerò me addixi tibi,
O pulchritudo antiqua!

Hic Cælum aperitur, ibiq; in nube Angeli apparent.

Sed quid intuor?
Hæc vnde nubes? ſcena prô qualis patet?

ACTVS V. SCENA II.

MICHAEL, GENII BONI *in cælo.* IGNATIVS *in cælum raptus.*

MICH. Ades, ô Tonantis cura: ſuperaſti dolos
Minitantis Erebi; victor è bello redis
In hoc theatrum pacis; in portum expulit
Ea te procella. fruere cùm cælum patet.
IGN. Et fruor, & ô ſi detur æternùm frui!
EVR.G. Dabitur: ſed vmbra rurſus in ſolem vocat:
Teque alia poſcunt arma. mutandum genus,
Non ipſa deponenda: ſic Numen iubet.
AS.G. Bello manus accinge, ſed pectus magis.
IGN. Quis hoſtis? AM. GEN. Imperator vmbrarum impotens,
Error profanæ mentis, impietas, ſitis
Præceps habendi, reliqua vitiorum phalanx.
IGN. At campus? AFR. GEN. Orbis, ſiue quem tumulo dies
Renatus aperit, ſiuè quem moriens tegit;
Interminati mœnibus mundi locus
Bello paratur. cerne Regnorum ambitum
Infrà patentem: caſtra quò tendas vides.
IGN. Ego caſtra tendam? muneri tanto pares

Non

Non gerimus animos. AS. G. Faciet animorum faber.
MICH. Ergo ante lapſus temporum, & ſolis fugam,
Imò ante ſolem, ſeque poſt vnum, Deus
Iam tum ſibi formauit exemplum tui
Magnis paratum rebus. infouit dehinc
Gremio ſerenæ mentis; vt quando dies
Matura flagitaret euentum rei,
Flueres imago veteris exempli recens.
Nunc tempus vrget: exere in lucem caput
Dilecte Superis, grandium mundo præi
Hortator operum. non enim bello manus
Mouebis vnus. agmen operoſum trahes:
Et ſtrenuorum militum ſcribes genus,
Cui militare nomen ab IESV dabis;
At tu latebis. nunc age, & mentem admoue;
Dum te futuræ ſtirpis egregium decus
Superi docemus. Numen indulget tibi
Felicitatis aureæ ſpectaculum;
Et te tuam libare fortunam iubet.
Nunc ſpecimen oculis cernere nepotum licet,
Vultuſque pòſt naſcentium; quales erunt,
Cùm poſcet ætas, nunc in aſpectum ingerit
Imago tales: diſce natorum indolem,
Tuumque pòſt in nomen adituros duces.
IGN. Maiora memoras Diue, quàm pectus capit
Magnis iniquum laudibus: quamquam Deus,
Vt ſumma præſtet, ſæpè poſtrema adlegit.
AS. G. Hæc tu Nepotum decorà ſecurus vide;
Securus audi; nec verecundus pudor
Turbet modeſti pectoris ſenſus pios,

Turbabit ille poſteros quondam ſatis,
Quibus ora tinget mentis interpres rubor,
Cùm res auitas aure pudibundâ bibent:
Oculiſque laudum mole deiectis humo,
Egregia veterum facta ſpectabunt Patrum
Geſtu Latinæ pubis in ſcenam dari.
AFR.G. Viden ferocis Africæ arcanum latus,
Quà ſempiternus torret Aethiopas calor?
Huc ſigna ducet illa ſociorum phalanx
Virtute capitum maior, ac cenſu minor,
Tuo vocatu. non arenoſi maris
Opponet æſtus impigræ genti moram.
Ardor citatæ mentis ardorem plagæ
Superabit omnem. ſtrenuo hoc campo metet
Manus illa militaris. haud Regum minas
Timebit audax. teſtis Ouiedus, ſacra
Cui tum tiara cinget intrepidum caput.
Quot ille Chriſto ducet Aethiopum greges
Contemptor atræ mortis, & morum arbiter?
En Regis œſtrum vincit. huc oculis ades.
Viden Ouiedum? Diſce ſimulacrum Ducis.

Hic Scena mutatur in aulam regiam.

ACTVS V. SCENA III.

OVIEDVS *Patriarcha*. REX ÆTHIOPVM.
REGIS FILIVS. MICHAEL, GENII,
IGNATIVS *de nube*.

R.AETH. NEſcíſne quantũ Regis irati manus
Armata poſſit? OVIED. Dextra
quod poſſit viri:

Multum,

Multum, timenti multa; ſecuro, nihil.
REX AETH. Nihil? quid enſis? ira ſi telum facit,
Quid Regis ira? OVIED. Clypeus eſt forti Deus,
Et Rege maior. R. AETH. Ludis in Regnum meum
Spectante me? iubente me contrà, impios
Etiámne ritus vulgus ignarum doces?
Romana laudas Sacra, Romanum caput,
Pedibus premendum potiùs? ô monſtri genus!
OVIE. Quos Roma cultus præbet, in cælo ratos
Fecere Superi. nempe Romanum eſt Sacris
Sancire leges. Roma quem Patrem vocat,
Pater eſt & Orbis; hoc caput tellus habet.
R. AETH. Mea non habebunt Regna, ſi viuo. R. FIL. Et tamen
Supponit vltrò populus huic ſeſe iugo,
Chriſtumque paſſim ſequitur. R. AETH. Hoc eſt quod queror:
Et quod medebor. Magna pars Regni, nouos
Induta cultus, deſeret patrios Deos
Auctore te? num fata, quæ ſponte aduolant,
Acceſſis etiam? ſiſte: vel pœnam lues
Audacis animi: ſanguine piandum ſcelus.
OVIED. O ſi refuſus redeat ad fontem cruor
Vnde emicarat! Sicca mors timidos iuuet;
Cruenta fortes. docuit hoc natos Parens
IGNATIVS, & hanc indidit mentem ſuis.
Ego pectus hæc in vota iuratum gero.
Vel cæde, vel minare; nec vi, nec metu
Incepta ſiſtam. dulce pro Chriſto emori.

R. AETH. I

R. AETH. I morere fortunatus. OVIED. En collum patet.

R. AETH. Quid dextra torpet? ſponte quid ferrum labat?

R. FIL. Agnoſce Numen genitor. R. AETH. Agnoſco nefas.

Hoc expiabit enſis. OVIED. En pectus, feri.

R. FIL. Auerte cæcum vulnus: aut natum Pater
Tranſadige: ſubeo fata, quæ pendent, libens.
Reſiſte. pudeat criminis tanti Ducem.
Ex Rege ſubitò carnifex? Quid publicum
Vitæ parentem morte violentâ petis?
Hic, ſi quis vmquam, dignus eſt vitâ ſenex.

R. AETH. Etiámne nati pectus infregit dolis?

R. FIL. Abſiſte genitor: pone cum ferro minas.
Te per parentis nomen & nati precor;
Per hunc, quod à te munus accepi, diem
Vitalis auræ: mitte furialem impetum.
Cui vota parcunt omnium, parcat manus
Vna, moderatrix omnium. ad pectus redi:
Nec inure tantam Regiæ fronti notam.

R. AETH. Abſorbeamus ergo conditum ſcelus?
Placare præſtat impetum. viue interim
O morte dignus: ſed càtenatos tamen
Extorris effer vrbe regali pedes.
Abripite famuli longiùs Regni luem:
Se cæde liberabit, & ciues metu.

OVIE. Et hoc beatũ eſt. Exules Chriſti ſumus.

Redit Scena ad imaginem Montis Serrati.

IGN. Præclarus ardor. mentis ô quantæ virum!
An ſortietur exitum cœptis parem?

AM.G. Sat

AM.G. Sat erit mereri poſſe pro Chriſto necem:
Ferrum cruori deerit, haud ferro cruor.
Alios beatæ ſortis euentum manet;
Quos deſtinauit Numen ex omni Ducum
Numero tuorum, mortis vt honeſtæ genus
Pretium laboris grande per cædes petant.
O quantus olim ſanguis in campos cadet,
Sanguis tuorum militum! quo flumine
Aſperſus Orbis fœnus immenſum feret
Cælo excolenti: culta pingueſcet fides;
Morumque candor rore de rubro fluet.

Hoc loco Scena mutatur in mare, in quo naues prædabundæ viatoriam vnam obſident, & expugnant.

Ratem ſecundo vela pandentem Noto
Viden inter vndas? portus eſt Cælum rati.
Azebedus hîc eſt, qui per anfractum maris
Inhoſpitalem, Ductor Heroum impiger
Ad diſſidentes conuehet Braſilas Deum;
Sed vota prædabundus abrumpet furor
Hominum nocentum. Cernis vt pelagi latro,
Armatus acres hæreſi multâ manus,
In immerentum damna ſociorum ruit?

ACTVS V. SCENA IV.

AZEBEDVS, DVX PRÆDONVM, DVX HISPANORVM, *in nauibus.* NEPTVNVS *cum Choro vndarum.* IGNATIVS, MICHAEL, GENII *de nube.*

D.PR. COhibete celerē nauis à tergo fugam.
Sepite ſocij; cingite proteruum latus.

MIL. Vn-

MIL. Vndique tenetur præda. D. HISP. Pugnandum eſt; age
Venalis antè vita, quàm virtus cadat.

Hoc loco pugna committitur inter naues, donec viatoria expugnatur.

D. PR. Vicimus, & odiis hoſtium in puppi ſumus.
Cedite rebelles. AZEB. Proximè Cælum patet.
Agite ſodales. D. PR. Quis mihi Cælum crepat?
Agnoſco vultus: túne Romani Patris
Sectator execrandus? ô fraudum artifex!
O myſta ſcelerum! non ſat Europam improbis
Turbare ſacris, teque Caluino palàm
Hoſtem fateri: quaſlibet terras petis
Impunè velox? nunc ad Indorum plagas
Documenta tecum legis inimicæ vehis?
Hoc turbulentum ſemen extingui iuuat.
AZEB. Imperia dulciora nec Cælum ferat.
Moriamur. hæc eſt vita, pro Superis mori:
Hæc vota. Socij, fortiter agendum monet
Loyola, nunc ſpectator, vt quondam Pater:
Gemituſque noſtros lætus è Cælo videt.

Hic Azebedus imaginem ſanctæ Mariæ Maioris effert; quam hoſtes, multùm conati, neutiquam eripere de manibus poſſunt; & cum quâ is in mare deiicitur.

Hæc addat animos Diua. D. PRAED. Quam Diuam moues?
Vulgare monſtrum potiùs: huc monſtrum cedò.
AZEB. Nil agis: amantem cædis hanc vitâ priùs
Rapies ab imo corde, quàm cor ex manu.

D. PR. Vtrum-

D. PR. Vtrumque rapiam. Diua te, credo, vocat:
I perge. Socij mergite profundo luem.
AZEB. O Virgo ſoſpitalis! I. AZEB. SOC. O vitæ
ſinus!
II. SOC. Pro te beatè morior. III. SOC. O votum
meum!

Neptunus VIRGINIS *imaginem manu gerens, & ludibundus Chorus vndarum partim ſaltantium, partim Delphinis inequitantium, & canentium, ex imo mari prodeunt.*

NEPTVN. O quæ gratia luminis,
Cæcis merſa receſſibus,
Regnum purpurat æquoris!
O diuina Puerpera!
O cæli decus, ô maris
Sidus nobile naufragi!
An noſtros cadis in ſinus,
Vt ortum Cythereidos,
Et crimen pelagi vetus,
In Regno perimas ſuo?
Sic eſt. dum cadis, expias
Quod ſurgens Venus extulit.
O Caſtor meus! ô meo,
Virgo, Caſtore caſtior!
Integerrima virginum,
Fecundiſſima matrum!
At tu lubrica pubes,
Pubes filia ponti,
Quid ceſſas? age feſtos
Vocis inſtrue plauſus.
CHOR. Pia ſiderum voluptas,

Hominumque Diua ſoſpes:
Maris ardor, horror Orci,
Fuga mortis, aura vitæ,
Mora Martis, ara pacis,
Pelagi coronat vndas.
Age Virgineos molire choros,
Ludicra pubes.

Hic Vndæ choreas agunt, ac VIRGINEM *coralliis coronant.*

NEPT. Sat virgineo pede ſaltatum,
Gemmea pubes. Nunc quæ ſuperis
Regnat in aſtris, Virgo, pudicis
Regnet in vndis.
CHOR. Regnet in vndis Virgo pudicis;
Virgo, pudicas quæ facit vndas:
Virgo triumphet.

Hic Scena redit ad imaginem Montis Serrati.

EVR. GEN. Europa quantum ſpecimen animorum dabit?
Teſtis profundo ducta Phlegethontis lacu
Hæreſis, iniquâ ventilans dextrâ faces
In vulgus aptum fraudibus. viden vt nouos
Rerum tumultus hydra capitalis mouet?
Huic te, tuoſque Numen opponit malo.
Auctore te frangendus errorum furor:
Cohibenda peſtis, ne flagellantem manum
Ad vtrumque tendat Orbis extremi latus.
Huc tu Lycea grande præſidium inuehes,
Huc litterarum caſtra. diſcendi ſitis,
Ardor docendi, quæque vtrimque naſcitur

Sapiens

Sapiens facultas , mentis infringet minas
Phlegethontis atri : tela formabit ſtilus.
AS.G. Suo periclo diſcet infernus Draco
Quæ vulnera importabit armatu potens
Triplici Lainius , ſiue dum mores malos
Hominum nocentum voce compeſcet graui;
Seu dum rebelles Numini, infidum genus,
Ardore franget ; ſiue terrarum Patres
Humanitatis elocuturæ caput,
Mundique florem publico rerum bono
Vndique coactos ad Tridentinum forum,
Tenebit vnus ore pendentes pio.
EVR. GEN. Vnus homo Bellarminus. O quantum ſpei,
Quantum bonorum nomine recordor breui.
Specimen auorum , ſtirpis antiquæ decus,
Purpura Latinæ veſtis,ingenium, fides,
Securus animus , innocens morum nitor,
Simplex decori cura, ſimplicitas decens,
Doctrina, virtus , nomine ex vno fluent,
In pectus vnum confluent. vnum ſatis
Fugaret hoſtes nomen : at plures erunt
Qui pullulantis excetræ collum premant;
Plures futuri , grata ſi cælo priùs
Quàm nota terris vita multorum ſinat.
Sed mors recenti in flore meliores metet.
Hos inter Aloyſius vitâ integrâ,
Ætate nondum , machinas quantas aget,
Vt ſe tuorum numeret in cenſu Ducum?
En vt rigentem precibus inflectit Patrem.

Hic Scena in conclaue domeſticum vertitur.

ACTVS

ACTVS V. SCENA V.

PRINCEPS CASTILIONII. ALOYSIVS. NVNTIVS. MICHAEL, GENII, IGNATIVS *de nube*.

P.CAST. ERgóne premendus indolis tantæ nitor,
Et obſoletos inter horreſcat greges,
Abiecta circùm clauſtra regalis puer?
Non patiar. NVNT. O ſpectaculũ viſu horridum!
P.CAST. Quid hic malorum portat? NVNT. Aloyſius
In ſe feroces rurſus exercet manus;
Seſe ipſe lacerat, iam pauimentum madet
Cruore multo. P.CAST. Pectus ô nati ferox!
Prohibete famuli capitis optati necem.
Inhibete dextram: ſiſtite nocentem mihi.
Quæ tanta cædis cauſſa? NVNT. Quæ vitæ fuit.
Tu genitor idem filium amplexu necas:
Amando perdis: mitte, quò mitti rogat.
Iacet repoſiti parte ſecretâ laris;
Rigidamque nudo nixus ad terram genu,
Dextrâ flagellum vibrat, & tenerum ſecat
Vulnere frequenti corpus: eſt idem reus,
Idem ſatelles, carnifex, iudex ſui.
Ad hæc IESVM mole pendentem crucis
Tuetur, hæret, clamat, illacrymat, gemit:
Et, en amoris, inquit, en vitæ vadem,
Accipe cruorem, Chriſte, confuſum tuo.
Cruor ire perget, dum remolleſcat rigor
Sæui Parentis. O pater rigido magis

Immi-

Immitis hoſte; quid iuuat nato aurea
Vitæ dediſſe dona, ſi fructum negas?
Sed quod negatur lacrymis, vincet cruor
Perennè fuſus: forſan inueniet viam,
Aut faciet hauſtus ſanguis; ad IESVM ferar.
Hæc fundit interrupta plagarum ſono;
Fundetque vitam, vota ſi torques diu
Nati rogantis. Flectere aſpectu pio.

P. CAST. Ades, ô parentis ardor, ô ſanguis meus.
Quis te ſeueras vrget in pœnas amor?

ALO. Tuus: hic nocentem me mihi, ô Genitor, facit.

P. CAST. Ego te nocentem? moris humani rudes
Non gerimus animos. AL. Sæpè ſecuri nocent,
Qui quòd nocent, amoris obiectu tegunt.
Amando natum perdis. odiſti? iuuas.

P. CAST. Odiſſe natos perfidi mos eſt Patris.

ALOY. Sunt odia quædam iuſta, quæ Patrem decent.

P. CAST. Vt te ſeuerus oderim partem mei?

ALO. Odiſſe non eſt, odia ſi Cœlo placent.

P. CAST. Odiſſe non eſt, exulem natum pati
Aulæ, parentum, ciuium, patriæ, ſui?

ALO. Quicumque viuit, exulat. tu quod malum
Eſt omnibus commune, priuatum vocas?
Meditare quid me deceat, & cauſſæ integer
Accede iudex. Vrget hinc Chriſtus, Pater
Hinc rurſus; ad ſe Genitor, & Chriſtus rapit
Hinc inde natum: diſtrahor. quos me ſequi
Promptum vocatus deceat, an Chriſti, an Patris.

P. C. Vrgeor vtrimque. vincor: heu! cauſsâ cadit
Amor, ille Princeps, & triumphator fori.

O nate quò me cogis? ALOY. Ad IESVM, Pater:
Quo cum beatum viuere, beatum mori.
Permitte Chriſtum quærere; inuento fruar.
Hæc perſuadet Numen: hæc menti ſedent
Decreta: vis me nulla depellet gradu
Conſtantis animi; quidquid intentes, leue eſt.
Luctere, ſurgam: claudar obſcuro ſpecu,
Effugia ſemper animus ad Superos habet:
Eſt, vnde clauſis liber è clauſtris eat.
Meum ipſe durâ pectus vrgebo manu,
Dum munus hoc extorqueam. non te mouet
Vox deprecantis; quis ſcit an moueat cruor
Abundè ſæuientis in pœnas ſuas?
Per ego paternæ deprecor dextræ fidem,
Per quidquid eſt commune cum nato Patri,
Permitte Chriſto iungar. P. CAST. Heu flector miſer!
NVNT. Succumbe genitor, æqua dū natus rogat.
P. CAST. Sunt æqua, ſed ſunt dura. qui partem ſui
Abſcindit à ſe, nec dolet, ſenſu caret.
O vox profundi pectoris in imo latens,
Emerge tandem. nate quò Patrem rapis?
I nate, quò te melior appellat Pater:
I, ſequere Numen, lege quâ Numen vocat.
Sed antè mœſti munus officij breue
Mihi deſtituto iunge complexum vltimum.
AL. At nunc amas, nunc gignis: ô verè Patrem,
Cùm me, tibi Regnoque denatum, iubes
Cælo renaſci: viue, ſed Cæli memor.
At ego beatus; cui relaxatum eſt iugum.
O qui medullis penitus inſerpit calor!

Delibat

Delibat animum ſenſus, vt numquam, pius,
Seque ipſe maior riuus exundat ſpei.
Sum tuus IESV: quique votorum eſt apex,
Tuus ero poſthac. ire ſeruitum tibi,
Regnare demum eſt: hoc placet Regni genus;
Cetera peroſus abnuo, abiuro, execror.
Tua ſigna iam nunc miles, Ignati, tuus
Sequor, & Parentem natus, ô Dux, ô Pater!
IGN. Indeſes animus: indolis quantæ Puer!
AFR.G. Oſtendet illum Numen, haud vltrà ſinet
Adeſſe terris proprium; quem non dedit,
Sed commodauit. nempe deliciæ breues
Populi Latini. Sed breues æui moras
Virtute compenſabit. O quantas aget
Cælo cateruas lux inextinctæ facis!
Beatus Heros: caſtus aſſertor niuis
Animi pudicæ, pubis exemplum piæ,
Hortator æqui: quem Iuuentutis Ducem
Vocabit olim Roma, donatum ſacris.
AS.G. Et Aſia veſtrum Regna vexillum manent.
Vbi latet Orbis additamentum vltimum
Locupletis Indi tractus. ad mundi plagas
Latè repoſtas iubaris æterni facem
Xauerius importabit, & veri rudes
Formabit animos gentis, & Chriſtum induet.
O quantus Heros! nempe cui nullum ſatis
Pondus malorum; ſed voluptatis liquor,
Quamquam beati fontis alluuio editus,
Sat erit.

Hoc loco mutatur Scena in campum, in quo duplex Exercitus.

Inermis viden vt armatos globos
Vibrante terret voce, conſpectu fugat?
Agnoſce pectus acre, generoſam indolem.

ACTVS V. SCENA VI.

MIHAEL, GENII, IGNATIVS *de nube.*
XAVERIVS. DVX TRAVANCORIDIS.
DVCIS FILIVS. DVX BAGADARVM.

XAV. IAm video certos hoſtis inferni dolos.
Nouella Chriſti germina, & meſſem aueam
Molitur aſtu metere, quo ſpinas ſolet.
Truculente meſſor criminum, ô vitæ Sator,
Auerte facinus. Fraus in auctorem cadat.
Hæc tua noualis, Chriſte, quæ cultu meo
Conſita, tuoque numine excreſcit tibi
In ſpem beatæ meſſis, hoſtiles minas
Secura ludat. Hoſtis eſt idem tuus,
Qui noſter eſt. communis hæc belli alea
Tibi tuiſque pendet: addictam fidem
Cælo tuere; petitur hæc aſtu malo.
Hæc meta ſcelerum. quiſquis eſt, tuus eſt labor.
Nullo dabis labore, quod nutu potes.
D. FIL. O Pater, & ara rebus in ſummis, ades.
Repelle fraudes hoſtium; turmas agunt
In noſtra ſæui damna; quòd Chriſti ſumus,
Hoc criminantur. vertitur vitio ſalus;
Noxæque virtus, noxa virtuti datur.
XAV. Seruile quid ſi victor imponat iugum,
Ac te retortum libero à tergo manus

Ad

Ad ſacra deteſtanda captiuúm trahat?

D. FIL. Trahat; haud ſequetur animus, inſiſtet gradu

Quo tu locaſti, cùm ſit inuito ſcelus,

Vt nomen extet criminis, crimen perit.

XAV. Quid ſi propinquæ mortis intentet metum,

Vibretque ferrum raptor aut vitæ aut Dei?

D. FIL. Si vita Deus eſt, auferet neutrum mihi.

O ſi merenti flueret hic Chriſto cruor,

Hæc vita, hic animus! dulce moriendi genus

Quod ſit repentè, quodque morientem facit

Repentè tutum. rapere qui vitam poteſt,

An ille Chriſtum poterit? hæc ſeruo intimè

Conſilia, quæ tu ſæpè docuiſti, Pater.

XAV. Agnoſco fidei ſpecimen, & Cæli indolem:

O dulce Chriſti pignus! ô lucrum meum!

Ne metue, terga vertet inimicus furor

D. TRA. In te recumbit gentis afflictæ ſalus,

O genitor exoptate; tu Cælo preces,

Tu pectus armis iunge, tu bello manus:

Orator, & pugnator; vtroque optimus.

Hoc te precamur. Patere te flecti malis:

Et quem fidelis orat, exoret phalanx.

XAV. O chara fidei germina, ô Chriſti ſeges,

Omitte queſtus: quiſquis eſt, non te metet

Inimicus enſis. aderit è cælo Sator.

De me vereri mitte: vallatum gero

Thorace pectus, nulla quem virtus domat.

DVX TRAV. Et tamen ab omni corpus armatu vacat.

XAV. Viden hoc volumen; cui pugillares notas,

Suumque propriâ nomen impreſſit manu

Loyola Superûm cura, Cocyti metus?
Hæc vna me lorica inacceſſum rapit
Vulneribus: hæc tuetur: hoc vnum omnia
Aduerſus hominum tela ſit ſcutum ſatis.
Quot capita cenſet militum hoſtilis globus?
D.TRA. Plurima, quod explorator apportat redux.
XAV. Quàm benè paratus ingruit? D.TRA. Ferro, face;
Quodque face præliatur & ferro magis,
Odio, furore, ſcelere capitali, dolo.
His pugnat armis: cauſſa pugnandi, Deus
Atis receptus nuper, abiecto procul
Vulgo Deorum. Chriſtus irarum ſcopus.
Hunc ſæuus odit hoſtis, & qui non poteſt
Opprimere cultum, premere cultores parat.
XAV. Sic odia mutat? noſcet, heu! noſcet malum
Quod prouocarit. D. TRA. Fronte, quæ neſcit tegi,
Crimen fatetur: lucis in aprico locat
Suos furores, odia præportat palàm.
XAV. Neſcit latere, quidquid eſt magnum, diu.
At vos timori parcite; en adſum comes
Vtriuſque ſortis. agite, dum tempus monet,
Inſtruite cuneos; ſtate, quo præſtat, gradu.
Sperate palmam. militem Chriſti decet
Conſerere dextras Imperatoris fide.
En hoſtis. ite; me manus Cælo iuuat
Tendere ſupinas. adero mox pugnæ arbiter.
Eſt pectus hìc & mortis & vitæ capax.

Hìc exercitus Bagadarum accedit, Xauerius orationi vacat parte in reductâ.

D.BAG. Ar-

D. BAG. Arma, arma miles: hoſtis occurſum parat.
Etiámne ſperat? terga non vertit malo?
Adeſte: non hæc pugna, ſed ſtrages erit.
Cædite Deorum transfugas. diſcant pati
Imperia, quæ non diligunt. pœnas luant
Cultus nefandi. D.TRA. Miles, en pugnæ caput.
Xauerius iſthæc arma tractari iubet.
Idem præibit ductor, & victor; metus
Abeat in hoſtes: aderit incepto Deus.
Aliena quid tu Regna conducto petis
Milite? ſceleſtum eſt. D. BAG. Iura Regnorum doces,
Deſertor æqui? vane contemptor Deûm,
Nunc tua ſit idem pœna, qui crimen fuit,
Chriſtus. D. TRA. Sed hoc me crimen audacem facit,
Facietque fortem, ſpero. D. BAG. Si ſperas, potes
Bello experiri; victor huc ferrum ocyus.
D.TRA. Vim vi repelle miles.

Hîc conſeruntur manus, donec intercedit ab oratione XAVERIVS.

XAV. O triſti cohors
Iurata ſceleri, vile mancipium Stygis,
Oblita libertatis & vitæ tuæ,
Premis alienam? ſiſte. furiarum ſatis.
D. BAG. Quis hîc repentè torpor? MIL. Horreſco videns.
MIL. Oculi fauillas euomunt, voces tonant.
MIL. Aut fulmen illo aut Numen in vultu micat.

D. BAG. Ne metue miles. at quis horrendo imminet
Capiti ſuperbus, ſyrmate decorus nigro?
Hic nos tyrannus maior humano fugat.

Hic exercitus Bagadarum fugit, territus imagine viri, quem ſupra XAVERII *caput pugnantem videt; eumq́; dicunt fuiſſe* IGNATIVM.

D. TRA. Sequamur, agedum, ſtrenuè victoriam.
Fugiunt. fugaces ſequitur è Cælo timor.
XAV. Benè eſt. in hoſtem ſæua tempeſtas abit.
At tu ſalutem Numini acceptam refer
Chriſti iuuentus. reddere huic grates decet.

ACTVS V. SCENA VII.

IGNATIVS, MICHAEL, GENII *de nube*.

IGN. QVis ille fuſco chlamydis ornatu ferox,
Supra minantis feruidum incumbens caput,
Fugabat hoſtes, auctor & pugnæ comes?
AS. GEN. Tu, quem Parentem ſemper & vitæ ducem
Xauerius, Orbe diſſitus toto licet,
Præſens vocabit, rebus in ſummis tamen.
Pugnabis vnà: vincet; at magnum latus
Stipante te. prô quantus hoc nato Pater
Dicêris olim! viuet addictus tibi,
Virtutis admirator & cultor tuæ.
O par amantum nobile! ô geminum iubar
Mundi minoris! alterum occiduis plagis,

Oriens.

Oriens Eois alterum; at iubaris fluet
Vnus vtriuſque ſenſus, & vis, & calor,
Amorque, virtus vna, par vitæ nitor.
Vos certa poſt volumina annorum, dies
Non vna, ſed vis vna meritorum, pares
Inducet aſtris morte defunctos piâ.
At quando cæli curſus ætatum ferax
Reducet olim ſæculum mundo aureum;
Tunc & dies vos vna committet duos
Sacras ad aras, pariter acceptos ſacris,
Votis vocatos publicis. IGN. Méne hæc decent?
AS. GEN. Hæc te decebunt. Roma ſacrorum arbitra
Iam nunc fouet, quod tempus in lucem ferat.
Gregorius olim decimus à quinto, rei
Princeps Latinæ, triplicis & Regni potens,
Indicet Orbi, voce cui Cælum ſtudet,
Veſtros honores: ille vos cultu Pater
Augebit. O quàm dulce præſidium malis!
O quàm ſalubre nomen, aſſertor tuus,
Præſes tuorum! IGN. Diue, ſi Cælo placet,
Humilem, ſupernos inter, hanc animam, choros
Locare quondam; redeat in fontem decus,
A quo redundat. interim quem tu notas,
Huic ego meorum præſidi magno precor
Leue pondus Orbis. cedat armorum furor
Illo imperante. nulla pacato ſtrepat
Tuba militantum Principi. Hic voti tenor.
Cælum repoſcat ipſe, qui cælum dabit:
Virtute propriâ, ſtirpe fraternâ potens,
Indole ſuorum floreat: ſurgat nepos,

Qui ſuſtinendâ mole terrarum leuet
Patrui labores, Patruo tantùm minor;
Facto imperandi particeps, merito arbiter.
MICH. Quid præſtat vltrà terere ſimulacris diem
Non ſic terendum ? pauca de multis ſat eſt
Libaſſe : ſat te prole felici patrem,
Inter tuorum decora natorum, vides;
In te redundat quidquid ex illis fluit.
Nunc ordiendum generis optati caput.
Huc arma pubes, arma cæleſti ſatu
Fabricata defer. æra vidiſti, manu
Superûm, micantis parte de ſummâ domus,
Tractata nuper ? ille, ſi neſcis, labor
Tibi tum flagrabat. Specimen æternum Ducis
Indue : ſub armis arte fatali vigor
Immixtus ardet. æra virtutem creant.
EVR. G. En pectoris munimen ætherium : ſubi.
AS. G. En galea magnæ frontis æratum decus.
AFR. GEN. Fulmineus hic eſt enſis; hic dextram grauet.
AM. G. At hic ſiniſtram clypeus immanis tegat.
IGNAT. Sat habet ; ab armis pectus aptatum gero.
At militaris teſſeræ ſignum deeſt.
Quæ nota futuri militis? MICH. IESVS erit.

Hoc loco pars cæli intima aperitur, & CHRISTVS Dominus in receſſu apparet.

Viden vt theatri ſcena ſiderei patet ?
Adeſt IESVS. Ipſe vexillum eſt tuum:
Ipſe Imperator. Signa te poſcunt Ducem.

ACTVS

ACTVS V. SCENA VIII.

CHRISTVS *Imperator*. MICHAEL. GENII. IGNATIVS.

CHRIST. O Sempiterni meta conſilij recens,
Noſtræque nutu mentis expreſſum decus,
Ades imperanti; patitur acceſſum Deus.
Venit ſupremo certa decreto dies
Signata quondam; preſſa cùm tellus graui
Pondere malorum poſcat afflictis opem,
Finemque rebus. poſcit: & quamquam ſcelus
Superis iniquum ſemper in dextrâ locat
Iam iam vibrandum fulmen; extorquent preces,
Et vota plus quàm ſcelera populorum valent.
Sic æſtuantum pectus irarum potens,
Manumque telis prægrauem, ac meritò necem
Orbi minantem, feruidæ extinctor facis
Dominicus exarmauit; ille nobilis
Præco ſalutis, ille Præconum parens;
Vnaque diues inter ærumnas, inops
Franciſcus inter diuitum luxus opum,
Auctor Minorum maximus. ſic te moram,
Sic te furoris vindicem noſtri creat
Fatalis ætas: bella te ſcelerum manent:
Te Ditis arma. ſcribe pugnantum genus
Aptum triumphis, acre, palmarum omnium.
IGN. Adſum vocatu Numinis votûm ſequax.
Hoc quidquid adſum, magne tu Princeps facis.
Nihil ipſe ſum: ſed fingere ex nihilo ſoles.
Hæc arma tibi geſtantur, ô Ductor Ducum:

Tuo merebor ære. ſi das, quod iubes;
Iube,precor quodcumque; quid nutu velis,
Tuum ſit explorare; moliri meum.
Non me laborum terret inuictum metus,
Si tu laborum meta. CHRIST. Vexillum vides:
Noſtro notatum nomine? hæc belli alea
Tibi explicatur. hoc babe: ô quantum ſpei
Geſtas in vno! finge te factis parem:
Tu fige caſtra, tu ſacramentum præi,
Tu ſigna præfer, ſtatue tu pugnæ modum,
Legemque dic pugnantium. campus vacat,
Vocat hoſtis: adero ſocius; i, Superûm labor.
IGN. Ibo vel ignes inter, & pelagi minas,
Quò ſpes tuorum clarior honorum vocat.
Tua Chriſte maior gloria eſt ſidus meum.
CHRIST. Placet ardor. agedum, perge: me cælo inſeram,
Sed te ſalutis præſes errantem ſequar.

ACTVS V. SCENA IX.

MICHAEL, GENII, IGNATIVS *nube in terras inter cantum vehuntur.* ECCLESIA.

CHOR. IN NVBE. IN terras agimur. ſat Superis datum.
I pennâ celeri, numine proſpero,
Heros militiæ ſignifer arduæ.
Sat deſideriis otia Cælitum
Riſerunt placido grata negotio.
Te nunc ſanguineæ plenum opus aleæ,

Te poſcit domitor durus inertiæ,
Vultum belligero puluere nobilis.
Te poſcit ſcelerum meta furentium,
Euertenda tuis meta laboribus.
Huc ſpes, huc animos, huc age vulnera.
Armis i propriis ; i ſocialibus.
Sic ardor Superûm, ſic metus inferûm,
Venturæ ſobolis flagitat exitum.

ECCL. Quæ vox ad aures fertur, & placidè intonat
Neſcio quid animo dulce, quod curas leuat?
MICH. Etiámne curas ore lacrymoſo teris?
Deſine dolorum. mitigat luctum dies,
Quam pollicebar. ſit querelarum ſatis.
Adhuc amas, timeſque ? deſperas adhuc,
Quæ certa ſperas? nec oculis præſtas fidem?
Oculis fidem largire, quam verbis negas.
Ne metue, ſummo Regna terrarum Deo
Iam victa mancipantur. auctorem vides
Felicitatis ? iunge complexus pios.
ECCL. Videóne charæ frontis optatum iubar,
Scelerumque damno ſtrenuam Herois manum,
Humana nuper arma figentem tholo
Magnæ Parentis Cælitum ? ſalue, ô caput
Mihi expetitum ſemper, inuentum ſemel.
IGNAT. Adſum ante magnos, vile mancipium, pedes
Dominæ imperantis. hoc tibi ferrum gero:
Tibi ſigna ventilantur. animorum vigor
Tibi ſeruit vni, ſi quis in pectus ſalit.
Tuus ero in omnem miles euentum ſequax.
ECCL. Accipio charum pignus, ô rerum ſalus,

Amplector omen. tolle tu ſupplex genu:
Sat nota pietas. emptus, heu! quantis ades
Votiſque lacrymiſque, quàm gratus venis?
Ad fauſtitatis culmen, huc Orbis plagæ
Adſunt in ipſum tempus: occurram aureæ
Nuntia ſalutis. viden vt incertæ tacent?
Vt reſtitantum more, meditantur fugam?

ACTVS V. SCENA X.

MICHAEL *cum* GENIIS. ECCLESIA.
IGNATIVS. EVROPA. ASIA.
AFRICA. AMERICA.

ECCL. Adeſte mundi Regna: quid greſſus retrò
Reſiſtit anceps? EVR. Alia meditari placet
Momenta rerum. cura nos mundi vocat.
AM. Alios in vſus, Virgo, molimur gradum.
AS. Meliora nos arbitria regnandi regunt.
AFR. Vacillat animus. quo quis in cultu diem
Hauſit priorem, claudat in eodem vltimum.
MICH. O domina rerum, præſes ô mundi cohors,
Quò vultuoſæ frontis inuergit rigor?
Te ſors beatam, tute ſed miſeram facis?
Quid fluctuaris? ſiſte: dubitatum ſatis.
Agnoſce fortunata quod neſcis bonum.

Hoc loco radius lucis ſupra Reginas è cælo cadit.

EVR. Agnoſco Solem. naſcere ô menti precor
Caſure numquam iubaris æterni dies.

Iam

Iam pectus emolleſcit, & veſtram reor
Sentire mentem nuntias Cæli notas.
AS. Maiore numquam pectus exarſit face,
Meliore numquam gaudio: nec iam natat
Spes, vt ſolebat, inter vndantes metus:
Enauigamus è procellarum ſinu.
En video certum ſidus, en Superi patent.
AM. Et nos inertis arguit Cælum moræ.
Quiſquis profundum pectus accuſas, habes
Iam confitentem, iam retractantem reum.
Cui crimen eſt neſciſſe, ſat purgat ſcelus,
Si ſcire cœpit. flamma præceptrix adeſt.
Quod neſciebam, diſco; quod fugi, ſequor.
AFR. O dulce ſidus! ô penetrales rogi!
O lingua Superûm ſplendida, ô vox, ô vigor!
Vt mihi liqueſcit, vt bibit pectus diem!
Sed quæ bonorum vena? AM. Quis vitæ modus?
EVR. Quis fons ſalutis? MICH. Ille, qui rerum, Deus.
AS. Quis adminiſter? ede, ſi iuſtum precor.
ECCL. Hic cui decoro cingit armatu chalybs
Fatale pectus. EVR. GEN. Cui triumphalem grauant
Vexilla dextram. AS. GEN. Cuius ad rigidum latus
Meditatur enſis ære fulmineo neces.
MICH. Hunc expiādus Orbis exſpectat Ducem.
AM. GEN. Vidiſtis illam nuper è Cælo facem?
AFR. GEN. Non fax, ſed huius fulminis fulgur fuit.
EVR. Agnoſco vultus. Indolem ô quantam boni!

Salue

Salue ô propitium rebus humanis caput.
AS. O vita ſalue. AM. Soſpes ô rerum ſalus.
AFR. Vt tibi ſereno ſpes ab aſpectu fugax
In me redundat! columen ô certè meum!
IGN. O Domina rerum, parce metiri modo
Humana tanto. Quidquid indulges mihi,
Hoc ſibi repoſcit maximus vitæ Faber.
Agnoſce fontem: quid manus poſſint rudes
Præſtare magnum? Numini acceptum refer
Quod quæris à me munus. huc animos age,
Nec ſpem, precor, tuere, ſed cauſſam ſpei.
Ego quiſquis adſum; quiſquis hic dextræ labor;
Conatus animi quiſquis, aut vita, aut cruor;
Vobis poteſt hæc vita, ſi quidquam poteſt.
Hæc arma fabrefacta cæleſti manu,
Hæc quæ ſalutis nomen auguſtum gerunt,
Vobis parantur ſigna. ſum paruus cinis:
Sed ſæpè viuit cinere ſub paruo rogus
Magni ferax incendij: è Cælo decet
Sperare flammam commodis veſtris parem.

ACTVS V. SCENA VLTIMA.

MICHAEL. GENII. ECCLESIA.
PROVINCIÆ VITIA. IGNATIVS.
HISPANIÆ MALVS GENIVS.

HISP. GEN. PRodite tandem: quid (malum!) moramini?
HAER. Viden vt paratos præda iam caſſes fugit?
ATH. Huc ô ſupremam rebus in ſummis opem.

R. IMP. Nil agimus; vrget maior humano metus.
HIS. GEN. Vltima furori verba ne tamen neges.
HAER. Nil profutura. IDOL. Quis ſcit an loco iuuent?
HIS. GEN. Certè iuuabunt. IDOL. Agite terrarum Deæ.
En illa veſtro nuper imperio phalanx
Emancipata rurſus ad Dominas redit,
Quibus diu carere miſerandum putat.
MICH. En triſtis iterùm fronte mentitâ lues
Blanditur, oppreſſura quem palpat manu.
IGN. Cauete ſæui pectoris vultus pios;
Latet venenum. AM. Cauit omnipotens amor,
Qui nos benignâ lege fatorum ligat,
Sibique iungit. AS. Qui catenatum parat
Hoc pectus enodare, quod ſtringit Deus;
Hic grande mundi vinculum ſoluat priùs.
AFR. Nos alia reuocant vota. EVR. Iam Cæli ſumus.
ATH. Iurata nobis turba quod Cælum autumat?
R. IMP. Cælum eſt, quod intus geritis: aut ſi quod foris
Cælum agitur, illud eſto Regnorum ſtatus.
Rex ipſe, Deus eſt. geminus huic Cælo polus,
Vis & Voluptas. IGN. O Tyrannorum impia
Vox, Numen execrantium. HAER. Inſtabili gradu
Remeare pudeat, vnde diſceſſum fides
Sperare prohibet. non licet pugnæ locum
Deſerere, vel ſpe Martis, aut mortis metu.
ATH. Hic cardo rerum; vita quæ voto fluat,

Subiecta nulli. Sancta libertas ades,
Vbicumque regnas; parte quâ cæli doces
Curare genium. perge quò rector iubet
Dominantis animi ſenſus: at cælum citra
Quid fiat vltrà, turpe ſectari; piget,
Quæ non videntur, mente laruatâ ſequi.
IGN. Ceu pecora terris prona: prô dictum malè!
IDOL. Quod iure noſtrum eſt, iure præſtari decet.
Imperia dubiæ mentis in noſtras manus
Modò mancipaſtis. pignus acceptum ſemel
Iuuat tueri ſemper. alienum rapit,
Qui ſe rapit, cùm dederit. R. IM. At cui ſe parat
Tradere Tyranno? immiti, inexorabili:
Qui quos amat conſtanter, ardenter premit:
Gaudet ſuorum cæde: nec pœnas procul,
Cùm poſſit, amolitur; aut ſi non poteſt,
Deſinat haberi Numen. HIS. GEN. Argutè premit.
Huius palato ſapite, qui ſapitis nihil.
HAER. Europa Regum nobili ſtirpe edita,
Genitura Reges, diua moderatrix opum,
Regina libertatis, auguſto iugum
Depone collo. ſeruiat mutum pecus:
Tuum eſt iubere. ATH. Tu tibi melior Deus.
Huc perge, quà te ducet in Superos iter;
Necdum tuos agnoſcis ad Cælum duces?
EVR. Agnoſco fraudum machinatrices manus.
O ſaga ſcelerum turba, quid nectis moras?
AFR. Abi nefanda, ne ſerenatum diem
Sæuâ cruentes tabe. AM. Iam fieri nocens

Hic

Hic metuit aër, voce quem Stygiâ moues:
Abi atra peſtis. R.IMP. Abeo: ſi reddas prius
Mihi te: quid vrges? IDOL. Fugio, ſi mecum fugis:
Quâ lege præſtat: modò recedenti comes.
HAER. Si ſequeris, antecedo: præcurris, ſequor.
EVR. Vtrumque renuo. AS. Non ſequar, ſi vel trahas.
ATH. Traheris; agedum. MICH. Siſte: cui tantum licet?
HIS. GEN. Quem dolor adempti iuris audacem facit,
Natura fortem. MICH. Machinator criminum,
Te nuper in tot ora mutatam excetram,
Monſtrumque multiforme, numeroſam luem,
Ignatius ſat vnus afflixit ſolo:
Et in futurum ſemper affliget magis,
Si bella perges: te triumphatum ſemel
Vincent nepotes fortis exemplo Patris.
HIS. GEN. At hi vetabunt Martis inferni Duces.
HAER. Se, credo, tutas Cantabro hoc vno putant.
O mentis error! Quod tibi Regnum paras
Europæ in oris, ipſe turbator premam.
R.IMP. Ego ſemper adero, peior idcircò comes,
Quòd fraudis adnaſcentis occulto caput.
IDOL. Quocumque ſocios, & maniplarem globum
Sparges tuorum militum, ſi quos tamen
Numerabis vmquam milites, turbabimus
Animæ ſequaces ſemper. AFR. GEN. At partes erunt

Noſtræ

Noſtræ tueri. ECCL. Furere non ceſſas adhuc?
ATH. Ceſſare neſcit vmquam inocciduus furor.
MICH. Poſtremus hic te poſcit Ignati labor.
Age, ſtringe ferrum; fulmen in pœnas eat:
Et quod patrabis inde, nunc ſpecimen refer.
IGN. Abite peſſum triſte furiarum genus:
Sic vos Tonantis ardor omnipotens fugat,
Cæleſte cuius nomen & numen gero,
Fugantque mecum Cælites. Ite ocyùs,
Timidoſque liberate mortales metu.
HAER. Vincimur. IDOL. Auarum Numen.
R. IM. O vindex manus!

Hic Vitia aperto terræ hiatu excipiuntur, & nuſquam apparent.

MICH. Benè eſt, peractum eſt: liberum Cæli
iubar.
ECCL. Abiit paternum triſtis ad fontem lues.
EVR. At nos ſereno Numen aſpectu beat.
AS. Quod hoc ſalutis pignus? AFR. O feſtum
diem!
AM. O ſoſpitalem! ECCL. Nempe quo primùm
Deus
Seſe pudicæ Matris infudit ſinu,
Terræque Cælum iunxit, atque homini Deum.
MICH. At tu paternas repete iam tutò plagas
Matrona Mundi: curſibus famam præi.
Nuntia ſalutis, ipſa ſit mundo ſalus.
Tu quod triumphi ſpecimen inſpexit fides
Oculata nuper, dic reportandum breuì.
Nos aula Regni clara ſiderei vocat.
AM. Ego te ducem ſalutis, & fati moram,

Diuine

Diuine fulminator Ignati, ſequar
Præſente cultu; ſiue tu longum trahas
Vitalis auræ munus; aut cæli diem,
Maturus aſtris antequàm terris, agas.
EVR. At ſi, quod opto, quodque venturi ſagax
Mihi canit animus, voce Romani Patris
Dicêris olim Diuus, & cælo additus,
Addêre templis; primus Europæ labor,
Tuæ per omnes ire virtutis gradus
Gradibus honorum. Signà ſuſtollam prior.
Tunc & theatro nomen Ignatij dabo
Plaudente Româ. AS. Forſan, & ſcenæ comes
Accedet Aſia. AFR. Et me Quirites audient.
MICH. Non vana fingis ſomnia. hæc quondam feret
Fatalis ætas. interim Pubes age
Canora plauſus; dum per æternos globos
Repetimur aſtris, nomen in Superos refer
Ignatianum, quando non ipſum licet.

Hoc loco MICHAEL *cum* GENIIS *nube in Cœlum tolluntur*: PROVINCIAE *verò quatuor curribus inuectæ, ſeparatim in ſuas Regiones per aërem reportantur.*

ECCL. Licebit olim. muta nunc tellus idem
Reſponſet æqua nomen aſſenſu pari.
PVB. At nos gemelli puberes
Ignatium canamus.
Viuat ſaluti publicæ
Ignatius nocentum
Victor beatus criminum,
Domator Inferorum.

Cæloque

Cæloque nomen additum
Votis amet vocari:
Et de ſupernis orbibus
Suas frequentet aras.
Ignatius nocentium
Domator Inferorum.

ECCLES. Subeamus & nos Matris auguſtæ domum,
Salutis vnde fluxit hodiernæ caput.

IGNAT. Quocumque perges, Virgo, præeuntem ſequar.

IN-

POESIS HEROICA.

CARMEN

Dedicatorium, *ad Ludouicum Card. Ludouiſium.* pag. 3
1. Idyllium, *Sacroſancta Vaticani Templi Porta.* 7
2. Gratulatio, *Ferdinando Cæſari.* 17
3. Euchariſticon, *in Claromontanum Collegium Patribus Societatis* IESV *Pariſiis reſtitutum.* 29
4. Pæan, *SS. Didymi & Theodoræ certamina.* 41
5. *S. Euphraſiæ de milite victoria.* 53
6. Epinicium, *S. Ignatius Loyola tormento ictus.* 76
7. Genethliacon, *Virginis naſcentis ad vitam.* 76
8. Epithalamium, *Virginis ab Angelo ſalutatæ.* 82
9. Propempticon, *Virginis Eliſabetham inuiſentis.* 94
10. Oariſtys, *B. Aloyſij Gonzagæ cum Deo colloquia.* 98
11. Soteria, *Eiuſdem voluntaria pro Chriſti amore ſupplicia.* 102
12. Proſeucticon, *Idem à Parente ingreſſum in Soc.* IESV *impetrat.* 110
13. Epicedium, *Idem, Victor incendiorum & fluminũ, deniq; à Morte ſuperatur.* 116

POE-

POESIS ELEGIACA.

ELEGIA

1. Nænia CHRISTI *Domini naſcentis ad vitam.* 127
2. Proſopopœia *S. Ignatij Loyolæ noctu ſidera meditantis.* 133
3. *B. Staniſlai Koſtkæ Soc.* IESV *cæleſtes delicia.* 139
4. Epithaphium *Margaritæ Hiſpaniarum Reginæ è vitâ abeuntis.* 143
5. Threnodia, *P. Cæſari Laurentio Collegæ diem vltimum obeunti.* 154
6. Apolyſis, *in finem ſtudiorum, ad emeritos Auditores.* 165

POESIS LYRICA.

ODE

1. Monodia *naſcenti* IESV. 180
VRBANI VIII. *Virtutes ad modos dicta.* 188
2. Felicitas, *Druſi Imperatoris pari omine repetita, rurſumq; ſperata.* ibid.
3. Sanctimonia, *Apibus Ambroſio mellificantibus explicata.* 191
4. Sapientia, *Apibus Platonis altricibus exæquata.* 194
5. Eloquentia, *Pindarum melle paſtum aſſecuta.* 196
6. Prudentia, *cum Hierone Rege ab Apibus enutrito commiſſa* 199
Cantus Naiadum, *ad Illuſt. Card.* FRANC. BARBERINVM. 203.

7. Vrania,

ODÆ.

7. Vrania, *Naiadum prima.* ibid.
8. Epichthonia, *Naiadum ſecunda.* 205
9. Meliſſea, *Naiadum tertia.* 206
10. Thalaſſia, *Naiadum vltima.* 208
11. Vaticinium, *de Templo S. Ignatij Loyolæ Romæ fundato.* 210
12. Amœbæus, *Sereniſſimo Leopoldo Auſtriaco.* 215
13. Paræneſis, *ad Lælium Guiniſium fratris filium.* 217
14. Iambus purus, *Romæ gratulatio de R.P. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali Soc.* IESV *creato.* 222
15. Charites, *ad Sereniſſ. Principem Mauritium Card. Sabaudiæ.* 225
16. Hendecaſyllabus, *ad cupreſſum Equitis Victorij.* 226
17. Acclamatio, *de Primo & Primiano Vrſinis fratribus.* 227

POESIS EPIGRAMMATICA.

EPIGRAMMA.

1. *Anni dies natalis.* 229
2. *Ad Puerum* IESVM. 230
3. *Ad Simeonem, Puerum* IESVM *geſtantem.* ibid.
4. *De Magis ad* CHRISTVM *Puerum profectis.* 231
5. *Vnus ex Magis, qui aurum offert.* ibid.
6. *De Stellâ Magorum.* ibid.
7. *Ad Sanctos Innocentes.* 232
8. *De niuibus ante peruigilium Natalis Domini cadentibus.* ibid.

EPIGRAMMATA.

9. *Ver ad* IESVM *coronâ ſpineâ præcinctum.* ibid.
10. *De violâ in* CHRISTI *Domini pœnis florente.* 233
11. *De eodem argumento.* ibid.
12. *De lacrymis Magdalenæ ad pedes* IESV. ibid.
13. *Ad Magdalenam, corpus* IESV *quærentem.* 234
14. *De S.Priſcâ leonibus obiectâ.* ibid.
15. *De S.Calliope Martyre.* ibid.
16. *Ad S.Catharinam Senenſem.* 235
17. *Ad S.Cæciliam, Euangeliorum librum in ſinu ferentem.* ibid.
18. *De S.Margaritâ Scotiæ Reginâ.* 236
19. *De S.Baſilio.* ibid.
20. *Ad S.Symphorianum.* ibid.
21. *Ad S.Simeonem Stylitam.* 237
22. *SS.Iuſti & Paſtoris è ludo litterario ad mortem pro* CHRISTO *abeuntium voces.* ibid.
23. *Ad S.Vincentium Martyrem.* ibid.
24. *Sancta Felicitas hortatur Filios, vt mortem pro* CHRISTO *generosè ſubeant.* 238
25. *De S.Ignatio Loyolâ, cuius in ſepulchro viſa ſunt ſidera.* 239
26. *Ad Eumdem, aſtrorum aſpectu fruentem.* ibid.
27. *Ad Eumdem, aſpectu ſiderum lacrymantem.* ibid.
28. *De ſancto Franciſco Xauerio Soc.* IESV: *cuius*

cuius extincti de latere ſanguis & aqua prodiit. 240
29. De Eodem, ſuper funem anchorarium in naui quieſcente. ibid.
30. De B. Aloyſij Innocentiâ. 241
31. De ſacro Ieiunio. ibid.
32. De eodem. ibid.
33. De eodem. 242
34. De eodem. ibid.
35. De ſacro Cinere. ibid.
36. In Perſonatos. 243
37. In Funambulum. ibid.
38. Ad Gregorium XV. Pontificem Max. de primo in Capitolium ingreſſu. 244
39. De Card. Ludouiſio creato. ibid.
40. De Trunco Mineruæ reperto in exſtruendâ Templi areâ, quod S. Ignatio Loyolæ erigit Illuſtriſſimus Cardinalis Ludouiſius. 245
41. De Capite humano, inter eiuſdem Templi fundamenta inuento. ibid.
42. De Riuo perennis aquæ reperto iaciendis eiuſdem Templi fundamentis. 246
43. De Card. Ludouiſio, primum Ignatiani Templi lapidem iaciente. ibid.
44. Ars Veſtiaria, ornando Ignatiano Templo opportuna, ad Card. Ludouiſiũ. 247
45. Ars Phrygiaria, ad Eumdem. ibid.
46. Odoraria, ad Eumdem. 248
47. In Pauli V. Pontif. Maximi cineres in Sacellum Exquilinum tranſlatos, ad beatiſſimam Virginem. ibid.

EPIGRAMMA

EPIGRAMMATA

48. *Ad Paulum* V. *Pontificem Maximum, de eius animi caſtitate, ex Sacello Exquilino.* 249
49. *Ad Paulum* V. *Pontificem Maximum, de Annonæ ſtudio.* 250
50. *Ad Paulum* V. *Pontificem Maximum, de eius animi tranquillitate.* ibid.
51. *Ad Paulum* V. *Pont. Max. quod in Exquilino Virginis Templo, prope Domini Cunas ſortitus ſit tumulum.* 251.
52. *De Corde Alexandri Cardinalis Vrſini, ſepulto apud cineres Roberti Card. Bellarmini.* ibid.
53. *De Alexandro Card. Vrſino, qui letali morbo correptus, ſanguinem ſibi flagellis elicuit.* 252
54. *De Chriſti in Cruce affixi effigie, quam ad pectus geſtabat Card. Vrſinus, dum viueret.* ibid.
55. *De obitu Alexandri Magij vltimâ Februarij.* 253
56. *De pluuiâ, in eiuſdem obitu.* ibid.
57. *In obitum Duciſſæ Cæſarinæ.* 254
58. *Ad Ferdinandum Cæſarinum, de obitu Matris.* ibid.
59. *Ad Petrum Cæſarinum, de Eodem.* ibid.
60. *Ad Ioan. Baptiſtam Ferrarium Societatis* I E S V, *Syriaci Nomenclatoris Auctorem.* 255
61. *Ad Equitem Ioſephum Cæſarem Arpinatem, Pictorem eximium, de Poëſi ab eo pictâ, & Auctori donatâ.* ibid.

EPIGR.
62. *In Tribunum, Ciceronis interfectorē.* 256
63. *Ad Romulum, Lupæ alumnum.* 257
64. *De Cicadâ ad lyram canente.* ibid.
65. *Tumulus anni morientis.* 258.

POESIS DRAMATICA.

Drama Ideo-practicum.

IGNATIVS *arma mutans.* 259.

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.

Ægroti. 120
Ægrotus. 125
Ægyptij exercitus merſi. 5
Æolus. 185
Æternitas pœnarum. 292
Affectus varij. 43.47. 54.55.56.65
Africa Hadriano VI. ſupplex. 283
Ales cœli cuſtos. 17
B. Aloyſius Gonzaga. 98. flagellantis ſe deſcriptio. 108. 360. Parentem expugnat. 361.362. eius virtutes. 363. mors. 126
D. Ambroſius. 192
America Hadriano VI. ſupplex. 283.284
Americi expeditio. 295
Amici. 162
Amor diuinus. 140. 141.142
Amor. 62.65. 85.91. 100. 101. 107. 120. 121. 122. 128. 129. 130. 131. 132. 180. 187.
Amoris fax. 180
Angeli. 10. 20. 83
Angeli mali. 176
Angeli rebelles cœlo pulſi. 292
Angelus. 8.42
Angelus cuſtos. 68.123
Angelus Gabriel. 76
Anni. 169
Anni tumulus. 258
Annus felix. 12
Annus naſcens. 229
Annus ſanctus. 8.12
Apes. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 197.201. 206
Apis auſpicium felix. 188. 190
Apollo. 165.167
Apoſtolicorum virorum dotes. 284.285
Apparatus. 155
Ara gemmata. 248
Aragonia. 149

Arma.

Arma. 46
Arma Ignatio Angeli ſabricantur. 346
Armamentarium cæli. 70
Ars veſtiaria. 247
Aſia Hadriano VI. *ſupplex.* 283
Aſpectus iuuenilis. 171
Aſpectus ſqualidus. 104
Aſtacus. 54
Atheiſmus. 308. 340
Aurora. 63
Auſtriaci Proceres. 152
Auſtriadum familia. 70
Azebedus. 355. 356.

B.

Bellarminus. 359
Belli diſſuaſio. 327
Bellum in Chriſtianos. 366
Bethlehem. 128
Bohemia. 18
Borbonia familia. 34
Braſilia. 150.

C.

S. *Cæcilia.* 235
Cades. 256
Cades pro Chriſto. 238
Calatura. 77
Cælum. 122. 137
Cælum empyreum. 9
Cæſar Laurentius. 154
Calcaris deſcriptio. 104
S. *Calliope.* 234
Cantabria. 149
Cardinalis Vrſinus. 251
S. *Catharina ſpinis coronata.* 235
Chorea. 85
Chriſtianus. 45. 55
Chriſtus. 91. 182
Chriſti inuocatio. 312
Chriſti natiuitas. 78. *eius mors.* ibid. *eius in cruce affixi effigies.* 176.
Cicada. 257
Cicero interfectus. 256
Cilicium. 104
Cinis ſacer. 242
Cithara. 167
Cithara cantus. 180
Claui-cymbali deſcriptio. 86. & ſeqq.
Collegium Soc. IESV *reſtitutum à Ludouico* XIII. 35
Cometa. 70
Concha. 181

Concio. 20
Constantia. 65. *in religionis cauſâ.* 365
Cor. 183. 235
Cor Cardinalis Vrſini. 251
Corona ſpinea. 232
Creatio mundi. 91
Crux. 94. 95
Cuna Virginis maxima. 77
Cupreſſus. 226.

D.

DÆmonis fraudes variæ. 310
Deliciæ mundi. 100
Deſcriptio Dei ſpecie ignis. 140
Deus. 83. 106
Deus homo factus. 12
Didymus adoleſcens. 41
Didymi cædes. 49
Dies naſcens. 13
Dignitates humanæ. 112
Dolor. 96. 163
SS. Dominicus & Franciſcus Chriſtum placant. 371
Druſus. 138
Dux inuictus. 317.

E.

ECcleſiæ deſcriptio. 269. *querela.* 313
Eccleſiæ triumphantis & militantis deſcriptio. 270
Ecſtaſis. 101
Electores. 19
Elegia. 147
Eridanus. 117
Euchariſtia. 21. 157
Euentus non ſemper animo reſpondet. 330
S. Euphraſia Virgo & Martyr. 53
Europa Hadriano VI. *ſupplex.* 283
Exercitus victus. 213
Exquilinum templum. 249.

F.

FAbula ſenis & iuuenis aſello inuecti. 177
Facundia. 172. 193
Faſciæ Virginis. 81
Ferdinandus Cæſarinus. 254

Ferdinandus II. 17. *creatur Imperator.* 25.26
Flagellantis ſeu Aloyſij deſcriptio. 108
Flagelli deſcriptio. 104. 114
Flagra. 107
Flamma fulgur. 183
Flamma. 238
Flores. 97. 136. 195. 207
Florum deſcriptio. 201
Florum ſuccus. 189
Fluuius tumefactus. 117
Fons. 246
Forma. 43
Fornaculæ diſtillatoriæ deſcriptio. 63. 64
Fortitudo. 216
S. *Franciſcus Xauerius.* 240
Frons. 181
Fulmen. 70
Fundamenta. 211
Funambuli deſcriptio. 243
Funebris pompa. 148
Furia. 19
Furiæ. 7.

G.

Gabriel peractæ Incarnationis nuntius. 93
Gallia. 29
Gemma. 182.212
Genæ. 183
Genius malus. 18
Germanici mors. 159
Goa. 150
Granata. ibid.
Gregorio XV. *bene precatur Ignatius.* 369
Gymnaſium. 37.

H.

Hadriani VI. *de Societ. elogium.* 262
Hadriani VI. *nuntium de Pontificatu accipientis modeſta oratio.* 281
Hadriano VI. *obiectum in ſomnis de Pontificatu augurium.* 262. 282
Hereſim Societas IESV *fregit.* 358

Hæreſis. 32.216.308
Hebræus populus mare Rubrum tranſit. 4
Hellenopolis. 19
Henricus IV. 34.36
Horologium. 22.23
Hortus. 136.195.

I.

IDololatria. 308
Ieiunium. 241.242
Ignatius & Xauerius in Diuos relati. 369
S. Ignatius Loyola. 67. 74.133
Ignatius vulneratus. 74.317. *ſeruum manumittit.* 288. *cælum aſpicienti terra ſordet.* 289. *publico orbis bono conuerſus.* 301. *arma Virgini dedicat.* 315. *mendico veſtes donat.* 319. *eius forma.* 320. *vilis habitus.* 321. 322. *tentatur.* 323. & ſeqq. *ſcrupulis angitur.* 343. *Societatis idea eidem exhibetur.* 351. & ſeqq. *armis cæleſtibus induitur.* 370
Ignis. 212
Ignis diuinus. 139
Imperator. 19
Imperij ratio. 308.337
Incendium. 118
Iuda montana. 94
SS. Innocentes Martyres. 232
Innocentia. 241
Inſtabilitas humanæ mentis. 311
Ioſeph Cæſar Arpinas Pictor. 255
Iratus. 111
S. Iudith vidua. 54
Iulianus Cæſarinus. 27
Iuſiurandum. 61
Iuuenis deſcriptio. 44.

L.

LAbra. 183
Lac. 66
Lacryma. 96.147.149. 233
Lalius Guiniſius. 217
Lætitia militaris ſigna. 286.
Lainius. 359
Leo manſuetus. 234
S. Leopoldus. 19

Leo-

Leopoldus Auſtriacus. 215
Liber Euangeliorũ. 235
Libros exurit Lutherus. 299
Littera. 123
Lucifer. 80
Ludouicus XIII. *Rex Galliæ.* 30.31.35.39
Ludouiſius Cardinalis. 210.244.246
Lugentium chorus ob mala impendentia. 309
Luſitania. 150
Lutetia. 30.35
Lutherus. 286.297.298
Lux. 46
Lyra. 257.

M.

M*Agellani mors.* 277
Magellanici littoris deſcriptio. 276
Maieſtas. 250
Malabaris. 150
Mare. 208.209
Mare Rubrum ſiccum. 4
Margarita Auſtriaca. 143.173
Maria Virgo naſcens. 76
D. Maria Magdalena. 234
Maria Ignatius caſtitatem vouet. 290
Mariæ Virginis imaginem Neptunus veneratur. 357
Mariæ Virginis inuocatio. 287
Martyrium. 41
Mathias mortuus. 18
Mauritius Cardinalis Subaudiæ. 225
Mehemetiſmus. 325
Mel. 189
Melopœa. 90
Miles. 59.68.316
Milites in inſidijs. 330
Mœnus fluuius. 19
Mœroris natura. 155
Moles. 210
Morbus. 122.155
Moriturus. 125
Mors. 119.120.123.143.153.155.160.162
Mors Alexandri Magij. 253
Mors Margaritæ Auſtriacæ. 153
Mors B. Aloyſij. 126
Moſes Poëta. 5

Mundi creatio. 131
Muſa. 30.178
Mutius Vitelleſcus. 222.

N.

NÆnia. 127
Nauarra. 68
Nautarum appellentium lætitia. 274
Neapolis. 150
Nentis deſcriptio. 169
Nix. 232
Nobilitas. 225
Noctis deſcriptio. 98
Noctis, qua Deus incarnatus, felicitas. 270. 271
Noui orbis Apoſtoli expetuntur. 278. 279. 285
de Nouo orbe reperto Eccleſiæ lætitia. 271
Nox. 108. 129.

O.

OBſidio. 71. 72. 73
Occidens. 145. 146
Odorraria. 248
Oriens. 145
Othomannorum familia. 18
Ouiedi conſtantia. 353. 354.

P.

PAdus. 40
Paradiſus terreſtris. 76
Paulus V. 14. 248. 249
Perfidia regis barbari erga belli ſocios. 276. & ſeqq.
Pericula. 116
Perſonati. 243
Peſtis. 120
Peſtis præſagium. 125
Petrus Cæſarinus. 254
Philippina. 150
Phrygiaria. 247
Pindarus. 197. 198
Plato puer. 194
Poëſis. 161. 196. 255
Poëſis deſcriptio & origo. 3. 4
Pompelon. 68. 317
Pontifex. 193
Porta ſancta. 9
Porta ſancta aperta. 15
Porticus Vaticani templi. 14
Præfectus vrbis. 49
Prælium nauale. 174
Preces. 99
SS. Primus & Primianus

nus Vrſini. 227
S. Priſca. 234
Proles. 148
Prouidentia diuina. 20
Prudentia. 199
Pudicitia. 42
Puer IESVS. 128. 129. 130. 131. 132. 181. 230
Pueritia. 103. 111
Python. 167

R.

Rebellionis opprimenda nuntius. 291
Religio. 191. 216
Religioſus. 111
Rheda. 116
Roma. 12. 13. 14. 15. 222. 223
Romulus. 257
Roſa. 181
Rudolphus Auſtriacus Imperator primus. 22
Rupes. 112.

S.

Sacramentorum vſus varius. 296
Sæculum aureum. 33
Sæculum ferreum. 32
Saga. 60
Saga deſcriptio. 171
Sagitta. 168
Salmantica. 151
Sanguis. 110. 114
Sapientia. 30. 194
Sapientia deſcriptio. 10
Saulus. 71
Sepulchrum Pauli V. 251
Serra. 95
Sicilia. 150
Sidera. 92
Signa Zodiaci. 80
Societas IESV. 36. 37. 115. 222
Societatis IESV in Æthiopia labores. 352
Sol. 8. 230
Sol oriens. 181
Somnus. 131
Sors. 154
Spina. 235
Sponſa. 82
Stabulum Chriſti Domini. 127
B. Staniſlaus Koſtka. 139
Statua Palladis. 245
Stella. 8. 101. 134. 239
Stella Magorum. 231
Stella ſepulchri S. Ignatij. 239

Stephonius. 154
S. Stylita. 237
Stylus poëticus. 178
Suffragia. 19
Supercilium. 183
Suſpiria. 186
Sileſia. 19.

T.

Tempeſtas. 166
Templum. 210.245
Templum S. Ignatij. 245
Textura. 167. 203. 204.105
Theodora virgo. 41
Theedora cædes. 52
Ticinus. 117
Tillius. 213
Toletum. 151
Tormenti bellici deſcriptio. 74
S. Trinitas. 9.175
Triumphantium chorus. 348
Turris cryſtallina. 22
Typi. 123.

V.

Vaſcones. 71
Vaticanum templum. 13.14
Venti. 84
Ver. 92.136
Veſper. 82
Veſtes pretioſa. 114
Veſtis. 166
Via lactea. 10.13
Victoria. 214
Villa. 221
S. Vincentius. 237
Viola. 233
Virginitas. 57
Virgo. 54
Virgo MARIA. 94. *maxima.* 79. *nata.* 80. *Cælo inuecta.* 79
Virtus. 218
Virtutes. 39.160.161
Vita. 128
Vita humana. 135
Vitia euocantur ab inferis. 306. *terris expelluntur.* 378
Vota. 230
Voluptates. 103
Vrbanus VIII. 7.12. 14.15.193.195.202. 205.

X.

Xauerij victoria contra Bagadas. 367
Xauerius Indorum Apoſtolus. 363.

MV-

MVTIVS VITELLESCVS SOC. IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm Poëſim Patris Vincentij Guiniſij, noſtræ Societatis, tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita Reuerendiſ. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſ. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ xx. Nouemb. M.DC.XXVI.

Mutius Vitelleſcus.

EGo Io. Victorius Roſcius Romanus I.C. iuſſu R^mi P. Nicolai Rodulphij, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, legi Poëſim admodum R. P. Vincentij Guiniſij, in quâ non minùs, quàm olim in eius Orationibus fecerim, admiratus ſum hominis ingenium, eruditionem, ac pietatem. Quamobrem dignam cenſeo, quæ typis quamprimùm mandetur, quò ſit vnde Poëticæ artis ſtudioſi intelligant, res ſacras atque diuinas, omnes Poëticos flores ac lepóres admittere. Romæ XVIII. Kalend. Febr. M. DC. XXVI.

Io. Victorius Roſcius.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſ. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulus Palumbara, ſocius Reuerendiſ. P. Fr. Nicolai Rodulphij, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ord. Præd.

Ego

EGo Ioannes Victorius Roſcius Romanus I.C. iuſſu Reuerendiſſimi P. Fratris Nicolai Rodulphij, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, legi Tragicomœdiam, quæ IGNATIVS in Monte Serrato, ſiue Armorum mutatio inſcribitur, admodum Reuerendi P. Vincentij Guiniſij: in quâ, ſicut in ceteris eius Operibus, ille mihi viſus eſt ſui ſimilis, pietate, religione, eloquentiâ, doctrinâ. Quamobrem non ſolùm permittendum cenſeo, vt ea typis mandetur, ſed etiam optandum, vt plura ex hoc genere monumenta ad Religionis incrementum, & ad Studioſorum vtilitatem, ab eodem edantur. Romæ VIII. Idus Februar. M.DC.XXVII.

Ioan. Victorius Roſcius.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij.

A. Epiſcopus Hieracenſis.

Imprimatur.

Frater Nicolaus Rodulphius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatij Magiſter.

Summa Priuilegij Cæſarei.

FERDINANDI II. Diuinâ fauente clementiâ electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Diplomate cautum eſt; nequis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum ſuorum hereditariorum fines, Soc. IESV Patrum Opera citra conſenſum eorumdem Patrum & Auctorum deſuper obtentum imprimere, vel recudere, aut alibi recuſa inferre aut vendere præſumat. Qui ſecus faxit, præter Librorum omnium confiſcationem, viginti marcharum auri puri pœnâ mulctabitur, vti latius patet in Diplomate dato Viennæ die I V. Auguſti, M. D C. X X V I.

Signat.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad mandatum Sac. Cæſ. Maieſtatis proprium,

Hermannus à Queſtenbergh.

Facultas R. P. Prouincialis.

EGo infraſcriptus Soc. IESV per Flandro-Belgicam Præpoſitus Prouincialis, concedo, vt, iuxta Priuilegium Cæſareum Societati noſtræ conceſſum, ſoli Balthaſari Moreto Antuerpienſi Typographo imprimere & vendere liceat R. P. Vincentij Guiniſij Soc. IESV Poëſim variè recognitam, & auctam, maximè Dramate de S. P. IGNATIO, quod nunc primùm in lucem prodit. In cuius rei fidem has manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi. Antuerpiæ, X X I X. Nouembris, M. DC. X X X V I.

Fredricus Taſſis.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Reuerendi P. Vincentij Guiniſij Lucenſis è Societate* IESV *Poëſim Heroicam, Elegiacam, Lyricam, Epigrammaticam, auctam & recenſitam; item Dramaticam, nunc primùm in lucem editam*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIX. Decemb. M.DC.XXXVI.

Signat.

Steenhuyſe.

ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXVII.



DI TORINO